


D 163



SYLLABUS

Tractatum, hoc Tomo comprehensum:

1. Jac. a MELCEN Sylloge Numorum ex argento uncialium.
2. Joh. Cyp. Lüdmanns Nummi singularis s. von Soudsbafroy
Halsen und Münzen.
3. H. U. v. Lingen de origine & inventionibus pecunie & Numismatis.
4. Kron. de Veteris numismatis potentia & qualitate.
& de Numo Unico.
5. M. Ge. Wilh. Joeker de Jure circa rem Moretaniam in Saxonia.
6. J. H. a Seelen Diss. de Numo unciali, dicto Brömfen: Halsen.
7. ———— Ej. Comm. de Numo auro Laberacium Consulens.

4.2. IACOBI A MELLEN,
LVBECENSIS,

SYLLOGE
NUMMORVM

EX ARGENTO

VNCIALIVM,

vulgò

THALERORVM feti IMPERIALIVM,

qvos

IMPERATORES

&

REGES ROMANORVM,

nec non

AVSTRIAE ARCHIDVCES

signari iusserunt.

LVBECAE,

Apud PETRVM BOECKMANNVM & IOH. WIEDEMAYER.

Typis Christophori Gothofr. Venatoris,


clō 1ō c xcviii.



2617



Pop. 8. II 1469 / 8str. -





SERENISSIMO ET AVGVSTISSIMO
PRINCIPI,

IOSEPHO,
ROMANORVM AC HVNGAR,
REGI,

ARCHIDVCI AVSTRIAE, DVCI
BVRGVNDIAE,
&c.

Domino suo clementissimo,

D. D. C.

S. REGIAE MAIEST. IPSIVS

devotissimus

IACOBVS à MELLE,
LVBECENSIS.

Magna animi fiducia, REX AVGVSTIS-
SIME, in conspectum MAIESTATIS
TVAE venio, unciales ex argento nummos
Austriacos, quos collegi descripsiq; TIBI dicaturus.
Quò minus enim sublime illud orbis Christiani,
quod summi Numinis benignitate occupas, fa-
stigium timidiusculè nimis reformidem, partim
singularis TVA, eaque verè Regia, Comitatus
facit & Clementia, cujus fama dudum in has
ultimas Romano-Germanici Imperii oras ema-
navit; partim verò ipsum libri huius, quem
humili manu offero, argumentum. Nam
quos ille Principes recenset, veteri recentique
pecunia signatos, non exteri & alienigena,
sed Majores & Cognati, immò Avi Pa-
rentesque TVI sunt, quorum sacratissimos vul-
tus intueri, gestarumque rerum gloriosa memo-
ria excelsum & in similes mores se formantem
animum pascere, REGIAE procul dubio MA-
IESTATI TVAE erit jucundissimum. Vix
etiam huic commentario nostro, IMPERATO-
RES, REGES ROMANORVM, & ARCHI-
DUCES AVSTRIAE exhibenti, ullo jure ali-
ud, quam AVGVSTVM TVVM NOMEN,
potuit praefigi, cum illud unum, optatissimo fa-
torum votorumque nostrorum consensu, omnibus
hisce maximarum dignitatum titulis sufficiat.
Nascendi enim sorte amplissimus AVSTRIAE
AR-

ARCHIDUCATUS TIBI obtigit; *Vnanimis*
porro *Germaniae procerum suffragiis* in *RE-*
GEM ROMANORVM es electus; & ali-
quando, *Augustissimo PATRE TVO* (id quod
tamen serò eveniat) in caelum recepto, *TE*
quoque *IMPERATOREM* venerabimur. Ce-
lebratur argenteus *D. N. J. C. Evangeliorum*
Codex, ab *Vlfla*, *Gothorum in Moesia*
Episcopo, circa annum *CCC LX.* scriptus, &
Academia Upsaliensi a Magno Regni Sueciae
Cancellario donatus, *cujus apographum Fran-*
ciscus Junius & *Georgius Stiernhielmus* nobis
dederunt. Ego non minus ausim dicere, me
quoque *S. REGIAE TVAE MAIESTATI* ar-
genteum hic exhibere codicem; cum omnia,
quae illo continentur, domus *Augustae Austria-*
caque gentis decora non nisi ex argento deprompta
sint, adeoque tota haec *Imperialium nummo-*
rum series argenteos quasi fastos & annales
constituat, ubi tot *Augustorum ac Heroum*
vultus, honores, titulos, argento solido nota-
tos, nobilique isthoc metallo ab interitu vindica-
tos videas. Sed manipuli saltim sunt, quos
offero, & proinde talia argenti dona, quae
licet nostram tenuitatem satis deceant, nequa-
quam tamen *TVAE* magnitudini conveniunt.
At salva res est, nihilque cause, cur mi-
nusculis istis Regali *TVO* solio verear ad volvi.

Nam, ut ipse cœli moderator Deus tenuia supplicantium mortalium munera non fastidit, ita etiam meministi terrarum Deos, h. e. Reges & Principes, exilia subditorum dona non respicere.

Immò novi, me nequaquam Elephanto assem dare; quod, an putaret, olim (apud Macrobius) Imp. Cas. Augustus lepidè ex aliquo quarebat, libellum ipsi tanta trepidatione offerente, ut modo protenderet manum, modò retraheret.

Sed Regi potius, eique humanissimo, Imperiales offero; quos licet parcè admodum & exiguis tantùm manipulis exhibeam; eos tamen, quia ex argento merè Austriaco constant, Principem gente ac mente Austriacum habuit facile adspernaturum, confido. Tam blanda igitur spe suffultus, hoc quicquid muneris est, REX CLEMENTISSIMÈ, ad sacros MAIESTATIS TVAE pedes colloco, Deumque O. M. supplex rogo, ut TE certissimum non modo Germaniæ nostræ, sed universi etiam Christiani orbis præsidium, cum tota domo Augusta quàm diutissimè servet.

Scrib. Lubeca XIV. Cal. Maji

cl̄bc̄ XCVII.

PRÆFATIO.

Antiquissimis olim temporibus GERMANI nostri nullum procul dubio signati æris seu pecuniæ usum habuerunt, sed tantum permutatione rerum sua instituerunt commercia. Deinde primis à nato Servatore Christo sæculis ii, qui Romanis viciniore fuerunt, vel etiam ad Rheni & Visurgis ripam victricibus eorum succubuerunt armis, Romanæ paullatim pecuniæ adveni, denarios aliosque illorum nummos coeperunt adhibere, *ferratos* maximè *bigatosque*, auctore *Tacito*, probantes, adeòque sollicitè caventes, ne malitiosa callidorum hominum vasfrities innocuæ ipsorum simplicitati imponeret.

Tandem ipsi didicerunt nummos cudere, *monetam* scilicet *in se habentem imaginem & literas*, ceu *Dagobertus*, Francorum Rex, (apud *Ioachimum Io. Maderum*, ad calcem *Chronici Montis-Sereni*) in diplomate fundationis cœnobii *Wissenburgensis*, anno DC XXIV, dato, loquitur; ubi etiam *Nemetensis* monetæ meminit, eo ipso sæculo VII, jam adeò famosæ atque celebris, ut ad illius exemplum aliis pecuniam signandi potestas facta fuerit. *Solidorum* verò ac *denariorum* nomine antiqui isti Germanorum nummi passim apud scriptores horum temporum, & in monumentis publicis occurrunt; optandumque foret, ut plenam & accuratam pecuniæ hujus veteris notitiam haberemus, nec ea potius tot hæctenus antiquariis vel ignorata esset, vel præterita, cum nobis aliàs innumera ferè prioris ævi numismata, integris voluminum plaustris, ad nauseam usque apposuerint. Nam licet, tam è Gallis, quam Germanis nostris dentur, qui antiquos istos solidos denariosque describendos sibi sumserint; Plurimi tamen adhuc ejus generis nummi supersunt, sive non visi hæctenus,

PRÆFATIO.

Stenus, sive neglecti eruditus; utpote cuncta alia potius curantibus, quam ut abstrusas sæpè numismatum horum literas, figuras, cruces, templa, turres, insignia, alas, arbores, vexilla, pisces, & innumera id genus alia, sive symbola, sive ænigmata, in iis occurrentia, interpretentur, ac inde aliquid lucis historiæ patriæ affundant.

Parem cum his Solidis Denariisque Germanorum veterum immò deteriorem adhuc sortem expertifunt incusi, tenues, ac foliati illi patrum nostrorum nummi, quos vulgò *Bracteatos* appellare sœvimus. Nam insuetum hoc aliis gentibus, solisque adeò Germanis proprium pecuniæ genus parcè admodum hætenus fuit descriptum, aut luci publicæ expositum. Et licet non omninò desint, qui rarioribus istis patriæ nostræ monumentis vel rimandis vel delineandis operam impenderit, quod post *Ioachimum Vadianum, & Tilemannum Frisum* fecerunt Viri Clarissimi, *Jo. Christifridus, Caspar, & Paullus Martinus Sagittarii* (variis partim epistolis & programmatibus; partim verò aliquot ligno cælatis bracteatorum iconismis, ad conquirendos plures ejusmodi nummos editis) *Ioannes Daniel Major* (ultimo ingenii sui partu, cui titulus: *Bevölckertes Cimbrien, &c. Plönæ, 1692 fol.*) *Wilhelmus Ernestus Tentzelius*, (colloquiis mensuris, *Monatl. Unterredungen àvavúvovs* hætenus evulgatis, passim); *Ioannes Andreas Schmidius* (dissertatione de nummis bracteatis Numburgo-Cicensibus ac Pegaviensibus, quæ Jenæ an. 1695. 4to prodit); & alii; quorum limatis simis commentationibus vix operæ pretium erit annumerare juvenilem nostram de antiquis quibusdam nummis Germanicis Epistolam, an. 1678. Jenæ editam. Illi tamen partim morte præventi susceptos utilisimos labores haut ex voto po-

PRAEFATIO.

potuerunt absolvere; partim verò ex ingenti bracteatorum numero *paucos* saltem elegerunt, in quibus enodandis atque illustrandis eorum se exercuit industria. Vnde non leve solùm spicilegium, sed integram adhuc messem sibi restare deprehendet amicus noster, *Jo. Christophorus Olearius*, Ecclesiastes & Bibliothecarius Arnstadiensis, qui univèrsùm hoc negotium aggressus, *Isagogen ad Nummophylacium Bracteatorum, qua præstantia usus & natura illorum succinctè describitur, addita centum & amplius eorundem literis signatorum sylloge*, Ienæ an. 1694. 4to edidit; eodemque libro plura hujus generis & uberiores istiusmodi numismatum descriptionem est pollicitus.

Diversæ autem quantitatis, variique moduli fuerunt olim hi Germanorum nummi veteres, quos diximus; Immò tandem eò magnitudinis excreverunt, ut aucto indies argenti pondere (raroque aliis gentibus exemplo) *unciales* evaserint. Factum id sæculo XV. exeunte, quò istiusmodi nummi majusculi cudi cœperunt: primùm quidem (habito solius quantitatis respectu) *grossi crassiores*, dicte *Groschen/* aut *floreni, Gùlden & Gùlden-Groschen/* dicti; Sed deinde sub initium sequentis sæculi XVI. à Valle Ioachimica, *Joachims-Thal/* notissimo illo Bohemiæ loco, (ubi signabantur) *Ioachimici, Vallenges, & Thaleri, Thaler/* appellati; Immò tandem ab auctoritate Imperiali, huic monetæ generi concessa, *Imperiales* seu *Reichs-Thaler* vocati; quo nomine in hunc usque diem veniunt.

Hos inter unciales nummos quinam omnium *primi* fuerint, apud curiosos harum rerum disquiritur, Sunt, qui ejusmodi nummos jam an. 1429. ab *Alberto Austriaco*, Sigismundi Imp. genero, custos esse perhibent, sicque

PRAEFATIO.

que eorum mentio in *colloquiis mensuris* (Monatl. Untere redungen) anni 1695. mens. Decemb. p. 1005. Sed illi haec tenus omnem industriam nostram effugerunt. Pari modo quidem in *libello monetali* vernaculo qui Hamburgi apud Georgium Wolders an. 1631. 410 prodit p. 61. iconismam Imperialis *Moguntini*, annum 1438. praefertentem cernimus: sed ubi datur ipsius archetypi videnti copia? Eorum, qui nobis se obtulerunt, uncialium nummorum antiquissimi sunt, quos *Sigismundus* Archidux Austriae an. 1484. & seqq. signari iussit. Nam licet habeamus argentea hujus ponderis numismata, vultum *Maximiliani I.* Austriaci, & *Mariae* Burgundicae referentia, quae annum 1479. exhibent; Haud tamen, si quod res est dici debet, eorum aetas hujus anni numero respondere videtur: Sed potius ex recentiori literarum ductu, ex *Magnanimi* titulo, quo Maximilianus ibi gaudet, aliisque id genus argumentis, colligas, nummos istos posterioribus demum annis in memoriam serenissimorum, quos ostendunt, Conjugum custos esse. Salvo nihilominus aliorum a nobis dissentientium iudicio. Quamvis etiam vulgò tam *Saxonici* illi, qui *Fridericum III.* Electorem, cum *Iohanne* & *Georgio*, repraesentant, quam *Schlickiani* imperiales, reliquos omnes aetate antecellere putentur, extant tamen plures alii adhuc antiquiores, quorum catalogum dicto *Colloquiorum mensur.* loco videas.

Ad istud autem quod monetæ genus attinet, non defuerunt quidem haec tenus, qui id *delinearent* aut *describerent*. Nam ultra tresqui-saeculum, & quod excurrit, hi nummi unciales argentei, unà cum cæteris, minoris ponderis & pretii nummis, variis *libris* quos vocant *monetalibus*, tam Belgico, quam Germanico

fermo-

PRAEFATIO.

sermone editis, fuerunt comprehensi. Ex iis, qui Belgica lingua prodierunt, sequentes vidimus:

Evaluacibouxxin, waar in men figurelic vindt al de gauden en zelveren penninghē, cours en gang hebben, in de Landen van herwaerds over, &c. te Ghēt, by Ioos Lambrecht, 1550, 8vo.

Ordonantie, Statut, en permisfie der Keizerlicker M. van den gauden en zelveren penninghen, Cours ende gang hebbende, &c. gepubliceert int Jaar M. D. achtenveertigh, den 17. Julii. te Gent, by Ioos Lambrecht, 8vo.

d' Onghevalveerde gauden ende zelveren Munte van diwerschē Conigryckē, &c. te Ghend, by Ioos Lambrecht, 1551. 8vo.

d' Onghevalveerde gouden ende silveren Munte &c. t' Antwerpen by Christoffel Plantyn, ende by Guillaem van Parys, 1575. 8vo.

Het Thresoor oft Schat van alle de Specien figuren en sorten, van gouden ende silveren Munten, &c. t' Antwerpen by Guillaem van Parys, 1580, 8vo.

Placcart ende ordonantie generale, so op den cours van den Gelde, &c. item Beeldenacr ofte figuerboeck, dienende op die nieuwe ordonantie van de Munte, &c. t' Amstelredam, by Cornelis Claesz, 1586 4to.

Manual ofte Handboeck, inhoudende die Weerde van den Marck, Once, Engelce ende Aes, van alle ghevalveerde ende onghevalveerde Munte, &c. tot Amstelredam, by Cornelis Claesz, 1586, 4to.

Sequentes autem libri monetales Germanico idioma-
te scripti nobis occurrerunt:

Valuation und Wirderung vieler gülden und silbernen Münzen / grober und kleiner Sorten / &c. zu Hamburg/ durch Joachim Lauten gedruect 1568. 4to.

PRAEFATIO.

Nieder-Sächsischer Valuation-Druck allerhand grober und kleiner Münzsorten / &c. 1572. 4to.

Vorzeichnis und Gepräge der groben und kleinen Münzsorten / &c. Leipzig / 1572. 4to. & denuò bey Wolff Stürmer / Formschneider zu Leipzig / 1583. 4to.

Neu Münzbuch / darinnen allerley grosse und kleine silberne und güldene Sorten sùrgestellt werden / &c. zu München / bey Adam Berg / 1597. fol.

Münzbuch / darinnen zu besehen / die besten und schönsten / sowohl alte als neue / Geld-Münze &c. Hamburg in Verlegung Jürgen Wolders / 1631. 4to.

Præter hos monetales, ut vocari amant, libros, etiam alia curiosorum ingeniorum monumenta extant, quibus unciales nummi argentei seu Imperiales describuntur. Habemus enim V. Cl. *Samuelis Reyberi*, IC. Antecessoris & Mathematici Kiloniensis, dissertationem Juridico-Stathmicam, de tribus argenteis nummis iisque uncialibus antiquissimis, quæ an. 1695. 4to prodiit. Plurima quoque ejusmodi numismata *Wilhelmus Ernestus Tenzelius* in Colloquiis suis mensuris (Monatl. Unterredungen) attulit; qui etiam unciales *Moguntinos* peculiari nuper scripto (ad Reverendissimum Electorem Lotharium Franciscum) enarravit. Ne dicam de *Elia Brennero*, qui thaleros *Suecicos*, elegantissimè æri incisos, suo, quem collegit, nummorum Syeo-Gothicorum thesauro inseruit; & de scriptoribus id genus aliis.

Sed auctores isti, ut ut sua laude dignissimi, partim non omnia, quotquot ipsis occurrerunt, uncialium nummorum genera, sed aliqua tantum nobis dederunt; partim verò (id quod præcipuè libris monetalibus familiare est) sola numismatū effigie contenti nullam adjecerunt explicationem sive commentarium. Immò si vulgares istos,

PRAEFATIO.

istos, quos modò dixi, *monet ales libros* spectes, incerta sæpius illorum *fides* est, nummiquè adeò temerè aut oscitanter haut rarò sunt delineati, ut eorum iconibus nequaquam semper tutò possis credere.

Nos igitur, cum inter alias pecuniæ veteris recentisque collectiones, ex plurimis non tantùm privatorum scriniis, sed illustrium etiam & principum virorum cimeliarchiis, præcipuè autem ex locupletissima Illustrissimi Comitis Schvvarzburgici, *Antonii Guntheri*, gaza, accuratissima quorumvis nummorum ex argento uncialium eçtypa coacervârimus, & quidem egregia illa *ichthyocolle* methodo (quam V. Cl. *Andrea Morellio* acceptam ferimus, licet hujus inventijam tum anno 1685. *Iob. Daniel Major*, præclarum illud dum viveret Academia Cimbriçæ decus, in literis ad nos datis meminerit); ab amicis faciliè nos exorari passifumus, imprimis ab Excellenti & omnium elegantiorum literarum amantissimo Viro, *Achille Daniele Leopoldo*, IC. & caustarum in hac urbe patrono celeberrimo, ne thesaurum istum, fortasse non ubivis obvium, bono invideremus publico, sed ut eundem potius æri incitum, ac Commentario illustratum, cum erudito (sive curioso) orbe communicaremus. Evulgavimus nuper hanc in rem peculiare aliquod *Specimen*, quo institutum nostrum, ejusdemque modum, exposuimus: Nunc autem fidem publicè datam liberaturi, promissum ista scriptiuncula opus aggredimur.

Ordinur scilicet institutam *Nummorum ex argento uncialium Syllogen*, qua (Deo volente) si per valetudinem & graviora quibus distinemur negotia licuerit, successu temporis omnia & singula *Imperialium* sive *Thalerorum* genera, *quotquot nostra hæctenus industria inveniri potuerunt*, summa fide ex meris *archetypis* expressa, & sufficienti com-

PRÆFATIO.

mentario explicata, sumus edituri. At, illud dum suscipimus, nequaquam *monetarios* nos profiteamur, de *materia, pondere & valore* numismatum istorum sollicitos, adeoque anquisitori diligentia notantes, quænam in his nummis sit argenti ærisque mixtura, aut quo pretio Hispanorum *Reales, Pesos* atque *Patacones*, Italicorum *Scudi*, Gallorum *Ecus blancs*, Anglorum *Corona (Crowns)*, Belgarum *Ducats*, Germanorum *Banco-Thaler / Wechsels Thaler / Gùlden-Thaler / Burgundische / sive Albertus-Thaler* cæterique id genus nummi veniant, *Historicè* enim potius hoc quicquid operis est, nobis exequendum proposuimus, habita simul natalium notitiæ, seu *genealogiæ* ratione, nec prætermissa utilissima pariter ac jucundissima *insignium* doctrina, quæ in argenteis hisce armorum pandectis utramque necessariò paginam requirit.

Quod reliquum est, omnes illi, qui unciales nummos argenteos, ab iis, quos commentarii nostri complectuntur, *diversos* possident, officiosè rogantur, velint *ectypa* illorum, *ichthyocolla* expressa, aut accuratas etiam picturas, ad nos, vel bibliopolas nostros, transmittere, ut adornandis *Supplementis* possint inferi, adeoque opus hoc omnibus, quoad fieri potest, est, numeris ac nummis absolutum prodeat,

STEMMA AVSTRIACVM,

Clasfis I. nummis uncialibus rectius capiendis atque digererendis inferviens.

	<p>Wilhelmus, m. 1406. Leopoldus, m. 1411.</p>	
Leopoldus	<p>Fridericus m. 1439.</p>	<p>Sigismundus, n. 1427. m. 1496.</p>
Probus, m. 1386		<p>FRIDERICVS MAXIMILI { A. III. Imp. n. ANVS I. Imp. 1415. m. n. 1459. m. 1493. L 1519. n. 1377. m. Albertus, n. 1418. m. 1463. 1424.</p>
		<p>RVDOLPHVS II. Imp. n. 1552. m. 1612. Ernestus, n. 1553. m. 1595.</p>
	<p>CAROLVS V. Imp. & Hisp. R. n. 1500. m. 1558. Li- neæ Austriaco-Hispanicæ propagator.</p>	<p>MATTHIAS Imp. n. 1557. m. 1619. Maximilian², n. 1558. m. 1618. Albertus, n. 1559. m. 1621.</p>
A. PHILIPP ²		<p>MAXIMILI ANVS II. Imp. n. 1527 m. 1576. Ferdinandus, n. 1529. m. 1595.</p>
I. R. Hisp. n. 1478. m. 1506,	<p>FERDINAN- DVS I. Imp. n. 1503. m. 1564.</p>	<p>Carolus, n. { B. 1540. m. 1590.</p>

STEMMA AUSTRIACVM
Classis I. nomen in dialibus rectis capiendis adque
digerendis inferens

FERDINANDVS, IV. R. Rom.

n. 1633.

m. 1654.

IOSEPHVS,
R. Rom.

n. 1678.

LEOPOLDVS

Imp. n.

1640.

Carolus, n.

1685.

FERDINANDVS III. Imp.

n. 1608. m.

FERDINANDVS II. Imp.

n. 1578. m.

1637.

1657.

Carolus Iosephus, n.

1649. m. 1664.

Leopoldus Wilhelmus, n. 1614. m. 1662.

Maximilianus Ernestus,

n. 1583. m. 1616.

B.

Ferdinandus Carolus,

n. 1628. m. 1662.

Leopoldus, n.

1586. m.

1632.

Sigismundus Franciscus,

n. 1630. m. 1665.

Carolus, n. 1590.

m. 1624.

SYLLO-

FRIDERICVS III
2
2
SYLLOGE
NUMMORVM VNCIALIVM
IMPERATORVM
AC
REGVM ROMANORVM.

FRIDERICVS III.



DIVI. FRIDRICHVS. 3. PAT. ET. MAXIMILIA-
NVS. FILI: IMPER: ROMANI. *Effigies Fri-
derici Patris, & Maximiliani Filii, Im-
peratorum.*

NOBILISS: AC. ILLVSTRISS: DOMVS. AV-
STRIACAE. INSIGNIA. ANNO. 1. 5. 31. *Insi-
gnia coronata, quæ à duobus angelis sustentur.*

A

Quam-

Qamvis hic nummus uncialis argenteus, anno demum 1531. cufus, eorum, quos præfert, Imperatorum ætate multò sit recentior, nec etiam ad usualem monetam pertineat, sed potius ad augustiora illa numismata, quæ Galli *Medailles*, nostri *Schaupfennige* / appellant; Satis commodè tamen putavimus eundem iri adhibitum ad captandam dicendi aliquid de *Friderico* III. Imperatore occasionem, quàm negat aliorum hujus principis numismatum ex argento uncialium defectus. In primis, cùm idem jam à Cl. V. *Iohanne Henrico Bœclero* factum esse constet, qui Imperialem hunc, reliquis aureis argenteisve *Friderici* nummis annumeratum, eruditis annotationibus suis ad *Æneæ Sylvii* historiam rerum *Friderici* III. Imp. Argentorati an. 1685. editam inseruit.

Jungitur itaque hîc unum familiae *Austriacæ* domusque *Augustæ* decus alteri, filio scilicet *Maximiliano* I. divus *FRIDERICVS* pater, quem inter Imperatores vulgò *tertium* hujus nominis appellant; aliis tamen, qui *Fridericum* Pulchrum quoque *Austriacum*, *Ludovici* *Bavariæ* mulum, in numerum Imperatorum referunt, potiori jure *quartum*; Immò adhuc aliis, qui *Fridericum* *Brunsvicensem*, degeneri *Wenceslao* surrogatum, Imperatoribus annumerant, *quintum* vocantibus. Fuit

Fuit is *Ernesti* Ferrei, Austriae Archiducis, filius, ex *Cimburgi* Masovia an. 1415. die 23. Sept. natus, princeps pius, æquus, & maximè implendo nominis omni pacificus. Quibus etiam virtutibus meruit, summæ rerum Christiani orbis præfici, cum Francofurti anno 1440. unanimi Electorum consensu mortuo patrueli *Alberto* II. Imperatori successor datus, & paullo post Aquisgrani coronatus fuerit. Hinc anno 1452. Romam petiit, ac in urbe illa orbis olim principe Imperiale diadema à summo ecclesiæ præfule *Nicolao* V. impetravit, acclamante undiq; populo: *Friderico pacifico à Deo coronato Imp. vita & victoria!* qualis honor ipsi inter Cæsares Austriacos uni & soli contigit. Uxorem quoque ibi nactus est eodem tempore, & ex ejusdem Pontificis manu, *Eleonoram*, *Eduardi* Portugalliae Regis filiam, quæ ipsi (præter infantes aliquot βαχυβίης) *Maximilianum*, postea Imperatorem, & *Cunigundam*, *Alberti* Bavari uxorem, peperit.

Egregia Fridericus pietatis, mansuetudinis & sobrietatis laude per *quinquaginta & tres* annos Imperio præfuit, ac demum anno 1493. die 19. Aug. duobus saltim annis octuagenario minor, obiit; adeoque ab Imp. Cæs. *Octaviano* Augusto quidem tribus Imperii annis superatus fuit, at illum ex aduerso totidem vitæ annis superavit.

De MAXIMILIANO, Friderici in hoc nummo comite & filio, nihil dicere nunc attinet, cum plurima statim illius sit facienda mentio. Nec in presentiarum nos sollicitos habebunt, quæ in averso Imperialis nostri latere à binis *geniis* telamonibus tenentur, *nobilissima ac illustrissima domus Austriacæ Insignia*; nam & illa deinceps, subinde occasione data, prolixè & luculenter erunt explicanda. Hic saltim obiter, & in limine quasi, notâsse sufficit, quadripartitum istum clypeum sex diversis laterculis absolvi; quorum primus repetita nov-antiqua Archiducatus *Austria* insignia continet; Secundus tertiusve *Styria & Carinthia* Symbola præfert; quartus *Carniola*, & quintus *Tyrolis* exhibet; Sextus denique & ultimus *Habsburgici Comitatus* tesseram complectitur.

MAXI-

MAXIMILIANVS I.

I.



MAXIMILIANVS MAGNANIMVS ARCHIDVX AVSTRIE BVRGVND. *Caput Maximiliani laureatum, additis circa collum literis: ETATIS. 19.*

MARIA KAROLI FILIA HERES BVRGVND BRAB CONIVGES. *Effigies Mariae, capite nudo, & crinibus in nodum adstrictis, nec non additis circa collum literis: ETATIS. 20. & inferius: 1479.*

Qui adverso hujus nummi latere apparet, MAXIMILIANVS I. Austriacus est, præcedentis Imperatoris *Friderici III.* (sive IV.) ex *Eleonora* Portugallica filius, anno 1459. die 22. Martii Neostadii Austriæ natus, ac inde (ex felici nominis omine) ad summum illud inaximatum rerum

culmen euectus, ut non modo an. 1486. Francofurti Rex Romanorum electus fit; sed etiam parente mortuo ab an. 1493. ad 1519. Imperii habenas gesserit. Attamen neutra istarum dignitatum nummo nostro expressa legitur, utpote, qui annum 1479. præfert, quo Maximilianus, *decimum nonum ætatis* annum vix emensus, tantis honoribus nondum fuit ornatus.

Solo itaque hinc *Archiducis Austria, Burgundiaeque* Ducis titulo gaudet, qui ipsi partim ex hereditate paterna, partim verò uxorio iure obtigit. Nam *Austria*, post cælum Ottocarum Bohemiæ Regem à victore Rudolpho I. Imp. an. 1282. filio suo Alberto collata, non interrupta generationum serie ad abnepotem ejus Fridericum Imp. devenit, qui obsoletum ferè aut omissum à majoribus *Archiducis* nomen resumpsit, & unà cum pleno successione jure in filium heredem, Maximilianum, transtulit. Quòd autem *Burgundia* Ducatum attinet, hunc Maximiliano uxor *Maria*, Caroli Audacis, ultimi Burgundiæ Ducis, filia & heres, attulit; de qua mox plura nobis erunt dicenda.

Cæterùm, si principis nummo nostro signati habitum attendas, non tantùm liberali satis & venusta facie est præditus, sed & promissa admodum *caesarie* ornatus apparet, quam deinceps mo-

re sæculi ad aures usque recisam habuit. *Lan-*
ream quoque gerit solitum illud priscorum Impe-
 ratorum ac Cæsarum decus, nec non antiquissi-
 mum victoriæ Symbolum, optimo sanè jure Ma-
 ximiliano debitum, cum ob varia virtutis bel-
 licæ specimina, quibus etiam præclarum *Ma-*
gnanimi cognomen meruit; tum præcipuè eam ob
 causam, quod illo ipso, qui numismate hoc signa-
 tur, anno, fuso fugatoque ad Gvinegatum Arte-
 siæ vicum Cordæo duce, eximiam contra Gallos
 victoriam obtinuit.

Aversa nummi nostri parte MARIA Burgundi-
 ca, prior Maximiliani *Conjux*, exprimitur. Fuit
 hæc *Caroli* Audacis (seu Pugnacis) Burgundiæ Du-
 cis, *filia*, quam is anno 1457. ex *Isabella* Borbonia
 suscepit, & an. 1477. ad Nancejum Lotharingiæ
 cæsus amplissimorum in utraque Burgundia ditio-
 num, totiusque Belgii heredem reliquit. Opulen-
 tissimam itaque hanc sponsam plurimi quidem
 ambierunt proci, ut Ferdinandus Rex Neapolita-
 nus, Carolus Gallia Delphinus, Georgius Clarenciæ,
 & Carolus Engolismensis Dux, Johannes & Philip-
 pus Cliviæ Duces, Philibertus Dux Sabaudia, Johan-
 nes Galeatius Mediolani Princeps, & quamplures
 alii: Sed inter hos omnes soli *Maximiliano* Austri-
 aco tam felici esse licuit, ut ipsi formosissimæ pari-
 ter ac ditissimæ hujus *Maria* nuptiæ conciliatæ
 sint,


sint, quam anno 1477. die 20. Aug. Gandavi duxit, adeoque *Burgundia*, *Brabantia*, & reliquarum Belgii provinciarum dominium familiæ suæ intulit.

Neque infœcundum fuit augustissimum hoc Maximiliani & Mariæ conjugium, sed præter *Franciscum* & *Georgium* Archiduces, in prima statim infantia iterum extinctos, ex illo prodiit *Philippus*, an. 1478. Brugis natus, qui felicius adhuc paterno thalamo connubium est consequutus, dum sociata sibi an. 1496. *Johanna*, Ferdinandi Catholici, Castellæ & Arragoniæ Regis, filia, amplissimum Hispaniarum regnum obtinuit, idemque recens detecti Novi orbis provinciis egregiè auctum ad posteros Austriacos transmisit. Prodiit etiam ex isto Maximiliani & Mariæ conjugio *Margareta*, eodem quem nummus noster habet, anno 1479. (vel sequenti, juxta alios) Bruxellis nata, & primùm quidem *Carolo* Galliæ Delphino, Ludovici XI. Regis filio, desponsata; sed cum ab eo repudiata esset, *Johanni* Hispaniæ principi, Ferdinandi Catholici R. filio, nupta: Hinc *Philiberti* Sabaudia ducis conjux, & tandem Belgii gubernatrix, cui per tres & viginti annos præfuit.

Quod reliquum est, uncialis noster hæctenus descriptus *alia* etiam forma extat, cujus typus equidem, quoad effigies serenissimorum conjugum, &

utras-

utrasque inscriptiones, ab allato non est diver-
sus; *Maria* tamen hîc *dextro* lumine conspi-
cua, ibi *laevum* intuenti oculum obvertit, &
insuper divulsus anni 1479. numerus partim or-
nato ipsius pectori, partim verò tergo adscriptus
cernitur. (Conf. librum monetalem ab *Adamo*
Berg an. 1597. Monachii fol. impressum, ipso ti-
tulo, & f. 4.)



MAXIMILIAN⁹ MAGNANIM⁹ ARCHIDVX.
AVSTRIE. BVRGVND. *Caput Maximilianiani laureatum, additis circa collum literis: ETATIS. 19. 1479.*

MARIA. KAROLI. FILIA. HERES. BVR-
GVND. BRAB. CONIVGES. *Effigies Mariae ornata, & pileo turbinato tecta, additis circa collum literis: ETATIS. 20.*

Idem se nobis hîc sistunt clarissimi conjuges, quos nummo præcedenti vidimus, MAXIMILIANVS Austriacus scilicet, & MARIA Burgundica. Sed ista alio habitu apparet ac in superiori numismate. Ibi enim *nudo* capite, & crinibus supra verticem in nodum adstrictis, conspicienda erat; Hîc verò & *velata* est, & *pileum turbinatum* gerit, auro & gemmis distinctum, defluente inde â tergo longo firmate. Quo de habitu quidem constat, fuisse eum isto sæculo foeminis optimatibus familiarem, ceu ex antiquis picturarum tabulis apparet, quas hinc inde in templis aut principum atriis reperias; Sed maximè notari meretur, Mariam illo indutam fuisse, cum primùm Maximiliano principi Gandavi an. 1477. in manum venit. Nam serenissimam hanc Sponsam tum temporis istiusmodi acuminatum siue turbinatum pileum (quem Orientalem seu Hungaricum vocare solent) capite gessisse, ex iconismo illo patet, quem (dubio procul è vetustiori aliqua tabula vel peristromate depromptum) *Sigismundus à Bircken* Speculo suo honoris familiaræ Austriacæ p. 857. inseruit.

Cæterùm augustissima hæc nec non charissima Maximiliani uxor, quatuor (uti diximus) liberorum mater facta, tandem anno 1482. ex infausto inter venandum equi lapsu Brugis periit; viduo marito

rito longum fui desiderium relinquens : quod tamen secundis *Anna* Britannicæ votis, & hac à Carolo VIII. Gallia Rege ipsi prærepta, succedentibus *Blanca Maria* Mediolanensis nuptiis lenitum est.

III.



MAXIMILIANVS. DEL. GRA. ROMANOR.
 REX. SP. AVGVST⁹. *Effigies Maximiliani armati & coronati, dextra sceptrum, sinistra gladium tenentis.*

XP^z. AC. A. REG^z. R^s. HER. Q. ARCHID^x.
 AV^e. PLVRI^z. EVROP^e. PVI PN. POTE-
 TI⁹. *Scutum coronatum & torque Aurei Velleris cinctum, nec non aliis 4. parmulis stipatum, quas inter aliquot igniaria hujus ordinis apparent.*

QVem hæctenus Archiducali saltim dignitate illustrem MAXIMILIANVM vidimus, is nunc *Romani Regis* axiomate auctior prodit, qvo Francofurti an. 1486. die 16. Februarii, consentientibus Electorum suffragiis ornatus est, paullò post Aquisgrani solenni pompa coronatus. Factum id vivo adhuc patre ejus, Friderico Imperatore, qvem renunciata filii electione largiter illachrymasse ferunt; incertum, an ex gaudio, an verò ex præfagientis aliquo animi sensu, qvanta negotiorum moles filio unà cum diademate regio fuerit imposita. Qvamvis autem Maximiliano hunc *Romanorum Regis semper augusti* honorem uncialis noster asserat; haut tamen inde certò colligas, eum adhuc ante annum 1493. usum esse, qvo principis hujus titulis, Friderico patre mortuo, nova dignitas, *Imperatoria* scilicet, debuit accedere. Extant enim alia, vel ab ipso, vel auctoritate ejus eusa numismata, qvæ, licet annis posterioribus prodierint, nihilo tamen minus solum *Regis Romanorum* nomen Maximiliano tribuunt: Et quidem ex recepto temporum istorum usu, qvo Imperatores, anteqvam à Papa solenni ritu essent coronati, *Imperatorio* titulo abstinentes, *solo Romanorum Regis* axiomate sunt gavisi.

Sed ad averfam nummi nostri partem accedamus.

mus. Postrema inscriptionis ibi occurrentis verba lectu sunt facilia, ubi Maximilianus vocatur *Archidux Austria plurimumque Europa provinciarum princeps potentissimus*; & quidem suo merito, cum per faustissimum illud, quod supra memoravimus, *Maria* Burgundicæ connubium an. 1477. varias, easque præstantissimas, orbis Europæi provincias paternis ditionibus adjecerit. At, quid priora hujus inscriptionis verba sibi velint, haut æque facile patet. Si elementa Græca ullo exemplo in nummis adhibita constaret, ad significandas voces alterius lingvæ, non nemo initiales literas XP. libenter ita exponeret: *GERmania ac aliorum Regnorum Rex*, &c. Sed cuivis patet, quàm violenta foret hæc interpretatio. Pari modo, licet anteriora ista elementa XP. more à Græcis mutuato nominis *Christi* vel *Christiani* compendium sint, durum tamen esset, ex iis & sequentibus AC. exsculpere titulum *Christianitatis Advocati*, quo Maximilianus aliàs in diplomatis ac recessibus haut rarò utitur. Neque hîc valet, ut, quemadmodum in alio quodam Maximiliani nummo apud *Luckium* Syllog. numm. p. 515. legitur: XPIA. REGNOR. REX. HERESQ. quod videtur idem esse, ac *Christianorum regnorum Rex heresque*; ita & in præsentis numismate legamus: *Christianorum ac aliorum regnorum Rex heresque*: Nam

velim scire, quibus regnis imperaverit Maximilianus, quæ *alia à Christianis* regnis fuerint. Nescio denique, an omnis difficultas tolli possit, si vexatas istas literas XP. AC. A. REG. R. HER. Q. explices: *Christianorum AC Americanorum Regnorum Rex* &c. & quidem eam ob causam, quod Maximilianus in filio Philippo & nepotibus Americanorum regnorum Rex heresque fuerit. Nullo enim satis idoneo teste probari poterit, Maximilianum sibi unquam jus illud asseruisse, quod filius ejus Philippus, Hispaniæ Rex, istiusque liberi, Carolus & Ferdinandus, in Americam, seu recens à Columbo & Vesputio detectum novum orbem habuerunt. Et si vel maximè id asseruisset sibi, titulisque suis inseruisset, planè tamen non fit verisimile, illum nomen tanti momenti, & tum temporis tam novum ac insolitum, unica alphabeti litera A. indicare voluisse, quia de ne millesimus fortè suspicatus esset, eam denotare *Americam*. Ne dicam tandem, inter *Christiana* & *Americana* regna non satis validam esse oppositionem, cum Christianis *Ethnica*, & Americanis *Europa* potius fuissent opponenda.

Vt igitur meam demum, eamque cæteris forsitan probabiliorem, sententiam exponam, in unciali hoc τὸ XP. nihil aliud, quam *Christianissimi* titulum significare, existimo. Quam licet conjecturam

nuper

nuper in *Specimine* meo p. 6. improbaverim, meliora tamen nunc (à magni nominis majorumque meritorum *Viro lo. Diet. Schafshausen, IC. & Cos. Hamb.*) edoct⁹ ità sentio, alterutram nummi nostri inscriptionem non esse *seorsim* legendam, sed potius utramque hoc modo *connectendam* esse: *Maximilianus Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus Christianissimus, ac aliorum regnorum Rex heresque, &c.* adeò ut voces istæ *semper Augustus & Christianissimus* præcedentis *Romanorum Regis* sint epitheta.

Ne autem quis obijciat, has voces violenter & ineptè combinari, cum in ipso nummo satis à se invicem distinctæ sint, & una uno, altera altero latere appareat, lubet quæ-rere, annon solemnis ille *Ferdinandi I.* titulus, *Infans Hispaniarum*, ità comparatus sit, ut duæ istæ voces necessariò conjungi debeant? Affirmabit, opinor, quilibet. Jam verò binos Imperatoris istius unciales nummos possideo, anno 1529. cusos (ac suo deinceps loco afferendos) in quibus hæ voces ità sunt divulsæ, ut τὸ *Infans* adversa, τὸ *Hispaniarum* verò averfa facie expressum sit. Vno enim latere legitur: FERDINAN. D. G. BOEM. HVNG. DAL. CROA. REX. INFA. altero autem: HISP. ARCHID. AVST. DVX. BVR. &c. Quemadmodum igitur horum nummismatum inscriptio, à monetario incongruè divulsa,

vulsa, necessariò rursùm ità connectenda est, ut averſæ partis prima vox ultimæ præcedentis lateris jungatur; ità etiam in unciali nostro idem faciendum esse nullus dubito.

Quod autem averſæ hujus nummi partis symbola scutaria attinet, medium ac præcipuum, corona clausa tectum, & aquilam *μονοκέφαλον* præferens, *Romani Regni δέγμα* est. Nam (notante Jo. Jacobo Chifletio, Insign. Eqv. A. V. n. 48.) aquila illa, quæ Romani Reges insignium loco utuntur, simplex est, nigra, lingua rostro & cruribus coccineis, circulo in capite ejusdem coloris, qui etiam perspicuè in nummo nostro cernitur. Hanc parmulam exornat dependens inde torques *Aurei Velleris*, quem ordinem equestrem *Philippus Bonus*, Burgundiæ Dux, (Pater Socii Maximiliani Imp.) cum an. 1430. Isabellam Portugalicam duceret, instituit. Eò spectant etiam *Igniaria*, hinc inde in numismate nostro conspicua; cum torques hujus ordinis constet pluribus igniariis & filicibus, unde scintillæ proſiliunt, addito lemmate: *Autre n' auray* h. e. aliud non habeo; vel etiam tali: *Ante ferit, quam flamma micet*; aut: *Pretium non vile laborum*.

Qui dextram mediæ hujus parmulæ premit clypeus, aliquot fasciis distinctus, & corona aperta tectus, *Hungariam* denotat. Hanc enim Maximilianus


milianus an. 1490. armis sibi subjecit, & ex eo tempore insignia hujus regni suis inſeruit. Sinistrum aqvilæ scutariæ latus occupat parmula *Austriaca*, Archiducali pileo tecta, & fasciam transversam præferens; quæ si coloribus pingenda est, argentea in solo rubeo esse solet: vel ad Danubium (qui Austriam secat) exprimendum, vel in memoriam *Leopoldi VII.* Ducis Austriæ, qui in expeditione sacra, an. 1191. in Palæstinam suscepta, adeò fortiter se gesſit, ut occupata Ptolemaide, vestem, quæ prius candida fuerat, totam cruentam reportârît, sola illa parte excepta, quambaltheus contexerat.

Inferiores duæ denique nummi nostri parmullæ hinc baltheos *Burgundicos*, illinc Leonem *Habsburgicum* exhibent: & quidem istos, ex hereditate *Caroli* Audacis, Soceri, anno 1477. ad Nancejum cæsi, ultimi suæ stirpis Burgundiæ Ducis; Hunc verò origini notandæ, quam à Comitibus *Habsburgicis* Argoviæ trahit serenissima ac potentissima *Austriaca* familia.

Similem nummum, sed anni 1513. numero signatum, vide libro monetali vernaculo an. 1631. Hamburgi apud *Georgium Wölders*, 4. impresso, p. 19.

C

IV.



IV.



MAXIMILIANVS ROMANORVM IMPERATOR.
SEMP. AVGVSTVS. *Effigies Maximiliani ar-*
mati & coronati, dextra sceptrum, sinistra
gladium tenentis.

PLVRIVM QVOD EVROPE PVNCIARVM REX.
ET PRINCEPS POTENTISSIMVS. *Quinqve parmu-*
la insignibus notata, interspersis aliquot ordi-
dimis Aurei Velleris igniariis.

Hic tandem MAXIMILIANVS I. sese Impe-
ratorem exhibet; quam dignitatem quidem
an. 1493. mortuo patre Friderico adiit, sed
quod à Papa Romano nondum esset coronatus,
cognomine ejus per aliquot annos abstinuit. Im-
mò sunt, qui eum *Imperatoris* titulum in comitiis
demum Colonensibus an. 1512. celebratis usurpasse
perhibent; Sed forsitan rectius istius primus usus
ad

ad annum 1508. erit referendus. Nam, cum Maximilianus sub initium hujus anni Tridenti ageret, in Venetos non modo bellum parans, sed & antecessorum more Romam profecturus, ut ibi solenni ritu Imperiali diademate ornaretur; Julii II. Pontificis liberalitate factum est, quod is per nunciùm ipsi, licet absenti, *Imperatorium* axioma contulerit, idemque confirmarit bulla aureis literis exarata, tantundem valitura, quam si propriis manibus coronam ipsi Romæ imposuerit. Hinc die 10. Aprilis, solennibus in Cathedrali ecclesia sacris factis, Maximilianus tam à legato Pontificio, quam publica præconis voce, inter festivum perstreptentium tubarum sonitum, *Romanorum Imperator semper Augustus* fuit proclamatus. Ex quo conficitur, uncialem nostrum, licet nullum anni numerum præferat, post annum tamen 1508. (vel ad minimum eo ipso) culum esse, quo Maximilianus & ab aliis *Imperator* fuit salutus, & sibi ipsi hunc supremum in Romano Imperio honoris titulum asseruit.

Aversam nummi nostri partem quod attinet, ea quidem quoad plurima cum præcedentis uncialis typo convenit. Nam Maximilianus ibi non modo denuò *plurimum Europa provinciarum Rex* & *Princeps* audit *potentissimus*; sed etiam parmulae, quæ medium scutum circumstant, pari modo

modo superius descripta *Hungaria, Austria, Burgundia & Habsburgici* Comitatus insignia exhibent. Attamen ipse medius adeoque præcipuus hujus nummi clypeus non amplius *aquilam μονοκέφαλον*, sed potius *bicipitem* præfert, notissimum *S. R. Imperii* symbolum. Cujus ita *geminata* avis originem licet nonnulli ad *Carolum V. Imp.* referant, eò quod is simul Imperator Romanorum & Rex Hispaniarum fuerit; facile tamen hoc ipso unciali nostro refelluntur, ex quo patet, aquilam bicipitem jam ante *Carolum V.* ab avo ejus *Maximiliano* adhibitam fuisse, cui etiam nonnulli auctores fuerunt, ut hoc monstrum aboleret, prout *ὁ πάνυ Spenerus* Op. Herald. part. Spec. l. I. c. 9. n. 10. asserit. Immò, si de *αὐθεντία* illorum numismatum constaret, quæ nobis *Ostavius de Strada* dedit, liqueret, jam tum sæculo XI. aquilam *δικέφαλον* Imperii Romani *δείγμα* fuisse, cum ea ibidem p. 500. in aureo *Henrici III. Imp.* nummo compareat. Sed notum est *P. Ioberti* de hoc auctore iudicium, scito illo libello, qui vocatur *la Science des Medailles*, p. 12. dicentis: *Il ne faut pas se fier en tout à cet auteur, parce que les medailles, qu'il rapporte, sont presque toutes fausses*; h. e. Auctori huic non est in omnibus fides habenda, quoniam ferè omnia, quæ affert, numismata ficta sunt. Hinc ergò nul-

lum


Ium pro tam antiquo aquilæ bicipitis Imperialis usu argumentum tutò peti poterit: præsertim, cum plurimi è successoribus Henrici III. in insignibus aquilam saltim *μονοκέφαλον* adhibuerint, quali etiam *Carolus IV.* Imp. usus est, non modo in sigillo isto, quod apud *Nicolaum Zyllesium* in S. Maximino Trevir. p. 63. videas, sed & in ipsa *bullæ aurea*, quæ fundamentalis Legi Imperii (de eligendo Imperatore) cui appensa est, nomen indidit.

Qua igitur ratione bicipitis aquilæ primus usus ad Imp. *Constantinum M.* famosæ divisionis Imperii *Orientis & Occidentis* auctorem, à nonnullis referatur, ipsi viderint. Mihi sanè id æquè minus probabile est, ac aliorum dogma, quò geminæ hujus avis origo Imperatori *Carolo M.* ob transactionem aliquam cum Nicephoro Constantinopolitano adscribitur.

Antiquissimum quidem *bicipitis* aquilæ exemplum est, quod (teste *Carolo du Fresne* dissert. de infer. ævi numismat. n. XI.) Romæ in columna *Trajani* (vel, ut alii referunt, *Antonini*) occurrit, ubi avis ejusmodi militis cujusdam elypeo inscripta visitur, quâque duarum fortè Legionum conjunctionem in unam notari credunt eruditi. Sed quis inter Imperatores Germanicos primus aquilam Imperialem geminaverit, haut certò constat. Et licet nondum satis exploratum sit, quod

Daniel Papebrochius in Actis Sanctorum Maji To. V. commentario prævio de S. Lucifero c. 2. n. 107. existimat, nempe nullum aquilæ bicipitis vestigium uspiam ante sæculum XIV. occurrere; eandem tamen jam ante Maximilianum I. Imp. in usu fuisse, ex eo satis liquet, quod idem auctor ex antiquis Parisinæ editionis *Georgii Codini* iconismis, trajectionem *Ioannis Palæologi* Imperatoris Constantinopolitani in Italiam & accessum ad Papam Urbanum V. an. 1468. exprimentibus, refert; scilicet, inter ornamenta triremis alicujus, tesseras Veneticas, Papales, ac Imperatorias exhibentia, *tres aquilas bicipites* comparere; quales (ipso teste) etiam *Rupertus* Bavarus & *Sigismundus* Imperatores sæculi XV. initio usurparunt.

V.



MAXIMILIANVS. ROMANOR. IMPERA-
TOR. SEMPER. AVGVSTº. ARCHIDVX.
AV-

AVSTRIE. *Effigies Imperatoris coronati, & torque Aurei velleris ornati: sub axilla: 1516.*

PLVRIVM. QZ. EVROPE. PROVINCIARVM.
 REX. ET. PRINCEPS. POTENTISSIMVS.
Eqves, cui miles armatus substernitur; á fronte alius miles graduens hastam & crumenam portat; á tergo angelus insignia Romani Imperii tenet, & alia 4. parmula inferius apparent.

Elegantissimus hic MAXIMILIANI I. Imp. nummus an. 1516. cufus est, quo is ultimam suam (licet irritam) adversus Mediolanenses expeditionem suscepit. Nam Ducatum istum, à Gallia Rege Francisco I. nuper occupatum, recuperaturus, collecto ex Germanis milite in Italiam movit, ipsoque Mediolano obsidione cincto civibus per facialem imperavit, ut, nisi pari modo, ac olim à Friderico I. factum, funditus deleri vellent, intra triduum Gallos urbe ejicerent, sibi que portas aperirent, eo animo venienti, ut isthic antiquo more corona Longobardica ornaretur. Sed opportuna decem millium Helvetiorum suppetia, Mediolanensibus ad summas jam angustias redactis lata, effecerunt, ut surdis fuerit narrata fabula. Hinc Maximilianus urbem frustra oppugnans, sibi que à perfidis suorum (ab hoste corruptorum)

ptorum) insidiis metuens, soluta subito obsidione ac re infecta domum rediit.

Videtur autem uncialis noster occasione hujus expeditionis Mediolanensis cusus esse; & quidem ad solvenda forsitan isthoc monetæ genere militi stipendia: Cujus rei argumentum præbet aversi lateris *homuncio*, ante figuram equestrem gradens, & sinistro quidem humero *hastam*, dextra autem manu *crumenam* ære gravem gestans, adeoque militem aliquem referens, qui accepta mercede sua bellica lætus ovansque incedit. Constat enim ex *Gvicciardino* & aliis istorum temporum historicis, hac ipsa expeditione Italica exercitum Imperatoris numerati stipendii moram agrè tulisse, ac militum nonnullos æra sibi debita tanta contentione flagitasse, ut etiam defectionem minitati fuerint. Immo fertur Maximilianus militem quendam alios ad rebellionem incitantem suis ad Soncinum manibus interemisse; quem fortassis ipso unciali nostro expressum videas, ut *resupino* corpore *eqvo substratus* jacet, cui *Maximilianus* armatus insidet, strictoque perduellem petit *gladio*. Nisi mavis suspicari, Imperatorem hinc Gallum aliquem aut alium hostem prosternere, adeoque victrici eo habitu se exhibere, quo olim *Constantinus*, *Magnentius*, aliique prioris ævi Cæsares in nummis apparent, addita epigraphe: FELIX TEMPO-

rum REPARATIO, aut: GLORIA ROMANORUM. Quicquid rei sit, *equitem* hunc neminem alium, quàm *Maximilianum* designare, præter *igniaria* Aurei Velleris in ornatu equi conspicua, satis probat *angelus* (aut, ex more veterum, *Victoria alata*) tergo equitis advolans, & coronata *Romani Imperii* insigniæ, scutum scilicet aquila bicipite signatum, præferens. Inferiores *parmulae* eadem sunt, quas aliquoties jam in nummis hujus principis observavimus: nam primo loco occurrunt tæniæ *Hungarica*: sequuntur balthæi *Burgundici*; succedit leo *Habsburgicus*; & denique comparet fascia *Austriaca*.

Quod reliquum est, *aquilinus* & extantior Maximiliani *nasus*, hoc unciali evidenter expressus, nobis meritò in memoriam revocat facetum ipsius dictum, quod affert *Sigism. à Bircken Dester. Ehren-Spiegel* l. VI. c. 20. p. 1386. ubi ait, Imperatorem in libera quadam S. R. I. civitate, cujus incolæ ipsi plurimas ejus effigies (ex metallo, cera, gypso, &c. factas) lucri causa obtulerant, tandem indignabundum exclamasse: *Seht durch Gott/ wohl fromme und gute Spiegelmacher gibt es in dieser Stadt! Ein jeder/ der eine grosse Nase nachmachen kan / der kompt/und wil uns damit dienen.*

VI.



MAXI. ROM. IM. ARCH. DV. AVST. ET. DO.
TER. OCCI. ORI. *Effigies Maximiliani pileati, & torque aurei velleris ornati.*

PLVRI. EVROP. PVNCIA. REX. ET. PINCEP. POT. 1518. *Decem parmulae scutariae, totidem insignibus notatae.*

Alio habitu exhibetur hîc MAXIMILIANVS I. Imperator, ac in nummis præcedentibus eum vidimus. Neque enim coronatus nec armatus est, sed *pileum* (sive, ut mediæ ætatis scriptores barbarè appellant, *biretum*) gerit; de quo tamen capitis tegumento non ausim dicere, an idem sit, quod eo ipso, quo uncialis noster cufus est, anno 1518. in comitiis Augustanis, unà cum ense pulcherrimi operis, à Papa Romano illi donatum legimus. Nam id potius *galeæ* formam habuisse

buiffè crediderim, cum Pontifex Imperatorem munere isto ad bellum sacrum contra Turcas fufcipiendum voluerit infligare. Præterea *togatus* five *palliatus* hîc apparet Maximilianus, reducta per humeros veltimenti ora, eâque pretiofa pelle munita, cui torques aurei velleris incumbit.

Meretur autem magis adhuc notari occurrens hîc novus & infolitus Maximiliani titulus, quo non modo (ut hæcenus) *ROManorum IMPerator & ARCHIDVx AVSTriæ*; sed etiam *DOMINUS TERRarum OCCidentis ORIentisque* appellatur. Sunt, qui putant, eum extremis istis vocibus refpicere ad ampliffimas *novi orbis* feu *Americæ* provincias, quarum hereditatem nuper ipfius nepotes, Carolus & Ferdinandus, creverant. Sed, ne hîc repetam, omni probabilitati contrarium effe, Maximilianum nepotum fuorum jus fuis inferuiffe titulis; dixerim potius, illum per *terras Occidentis* intellexiffe Belgium, Burgundiam, aliasque hereditarias provincias; per *terras Orientis* autem Hungariæ regnum, anno 1490. ex parte adqvisitum, & quæ eò pertinent; cum de his regionibus constet, illas fibi ita effe oppositas, ut aliæ ad nascentem, aliæ autem ad obeuntem solem se convertant.

Progredimur nunc ad averfam nummi nostri partem, ubi varia nobis *insignia* occurrunt. Pri-

mum eorum & præcipuum, corona Imperiali clausa ornatum, aqvilam bicipitem, *Romani Imperii* *δέγμα*, exhibet, ita tamen efformatam, ut pectori illius alia quædam parmula impressa sit, hinc fasciam *Austriacam*, illinc baltheos *Burgundicos* ostendens. Dextram majoris hujus clypei occupat scutum *Austriacum*, corona Archiducali tectum, & supra p. 17. à nobis explicatum; Sinistram verò premit parmula, ex leonibus Svevicis & fascia Austriaca bipertita, *Carinthia* symbolum, quem Ducatum olim à Svevis possessum Imp. Ludovicus Bavarus an. 1331. Austriacis contulit. Sequitur gryphus ἀπτεροῦ, ignivomus, *Styriam* denotans, quam Ottocarus Marchio, ab Imp. Friderico I. Dux Styriæ creatus, focero suo Leopoldo VII. Austriæ Duci vendidit. Huic succedit Leo *Habsburgicus*, cujus etiam supra mentionem fecimus. Vicinum illi scutum baltheus dexter perrept, utrinque tribus coronis stipatus, & *Alsatiæ* Landgraviatum (Rudolphi I. Imp. patrimonium) designans. Jungitur ipsi parmula, aqvilam μονοκέφαλον (lunulam pectore gestantem) præferens; quæ *Carniola* tessera est, jam sæculo XIII. ad Fridericum Bellicosum Austriacum devolutæ. Ultimam insignium seriem orditur scutum ex palis aliquot & aquila bipertitum, *principatus supra Anasum* seu

Austria superioris symbolum; quam regionem Henricus Marchio Austriae an. 1156. cum Henrico Superbo Bavariam restituere juberetur, inde avulsit & retinuit. Parmula media, pileo ducali tecta, baltheos exhibet *Burgundicos*, jam toties nobis memoratos; & postrema denique, aquilam coronatam continens, Principalem Comitatum *Tyrolensem* innuit, quem Margareta Maultschia, ultimi Comitis Tyrolensis Mainardi IV. mater, cum is an. 1363. decessisset, ad consobrinos suos, Rudolphum, Leopoldum & Albertum, Austriacos, transmisit.



VII.



MAXIMILIANVS. ROM. IMP. SEMPER. AVGVSTVS. ARCHID. AVSTRIE. *Effigies Maximiliani coronati.*

PLVRIVMOZ. EVROPE. PROVINCIAR. REX.

D 3

REX. ET. PRINCEPS. POTENTISSIMVS.

Quinqve scuta insignibus exarata. 1519.

Neque vultus nec inscriptio hujus nummi nos morabitur, cum utrinque iis gemina offendamus, quæ hæcenus aliquoties jam lustravimus, quanquam omnia hic elegantius nitidiusque efficta sint. Solus hic nobis notandus est *anni 1519. numerus*, utpote qui MAXIMILIANO I. Imp. fatalis fuit, vitæque ipsius ultimus.

Nam is Oeniponti sub initium hujus anni febræ correptus, ut illa soli cælique mutatione vel etiam itinere discuteretur, secundo quidem anne in Austriam descendit; Sed postquam Welsam appulit, ibidem ob morbum ingravescentem, ac intempestivo alvi profluvio auctum subsistere necesse habuit. Jamque ex defectu virium magis magisque ingruente vitæ finem adfuturum sentiens, Carthusianum quendam (qui ipsi olim à sacris fuerat) Friburgo jusfit accersi, & cum adveniente non tantum pia de salute animæ rebusque cælestibus colloquia instituit, sed etiam (prævia peccatorum venia) spiritali morientium Christianorum viatico fuit instructus.

Hinc rebus suis domesticis, & ad successionem nepotum spectantibus, compositis, nec non dispositione facta, quomodo sepeliri vellet,

let, tandem die XI. Januarii, anno supra memorato 1519. qvi ætatis ipsius inter mortales actæ fuit sexagesimus, piè placidèque obiit. Cada-
 ver ejus, ex ultima morientis voluntate, non tan-
 tum crinibus dentibusque orbatum, sed etiam cal-
 ce viva adpersum, & loculo (quem dudum in iti-
 neribus suis secum duxerat) impositum, primò Vi-
 ennâ, & justis ipsi ibidem persolutis inde Neosta-
 dium Austriae perlatum est, ubi in sacello divi Geor-
 gii sub altari majori fuit conditum, eo situ, ut quo-
 ties sacerdos ibi sacra esset facturus, humati sem-
 per Imperatoris pectori insisteret.

Hic fuit *Maximiliani I.* Principis omnibus
 pacis belliqve artibus clarissimi, ac optimi Impe-
 ratoris, exitus; cui deinceps nepos *Ferdinandus I.*
 Imperator Oeniponti, in templo aulico S. Cru-
 cis, sumtuosum ac verè regium ex ære &
 marmore monumentum po-
 fuit.

CAROLVS V.

L



TECVM. REGNA. DEVS. PARTITVS. VT.
 IMPERAT. ASTRIS. 1532. *Effigies Caroli V.*
Imp. togati & pileati, adscriptis utrinque circa
collum vocibus: CAROLVS. RO. IM.

ILLE. REGENDA. TIBI. SIC. SOLA. CONCTA.
 DEDIT. 1534. *Aquila Imperialis.*

Succedit hîc, ut olim in Imperio succesit, *Ma-*
ximiliano I. CAROLVS V. dignus tanto a-
 vo nepos, & non minus rerum gestarum ma-
 gnitudine, quàm auspicatissima Imperii Roma-
 no-Germanici cum monarchia Hispanica conjun-
 ctione, celeberrimus. Fuit is *Philippi* Austriaci,
 Hispaniarum Regis, ex *Johanna* (Ferdinandi Ca-
 tholici gnata) filius, anno 1500. die 24. Februar.

Gan-

Gandavi natus, ubi perexiguum, & vix quatuor vel quinque cubitorum conclave magnum hunc principem matris utero egredientem excepit, teste tabula ibidem appensa, in qua legitur: *Augustissimus Imperator Carolus V. in hoc perangusto loco natus, anno 1500. 24. Februarii, in Festo S. Matthiae, hora quarta matutina.*

Adulti Caroli hujus primum, ut ita dicam, tyrocinium fuit *Belgii* imperium, quod ipsi an. 1515. Calendis Januar. Maximilianus I. Imp. tradidit. Dein avo materno, *Ferdinando* Catholico, Castellæ & Arragoniæ Regi, in regno *Hispanico* successit, magna pompa 1518. d. 7. Febr. Vallisoleti coronatus. Tandem Francofurti an. 1519. *Imperator* fuit electus, istoque munere per sex & triginta annos functus est.

Vxorem habuit *Isabellam*, Emanuelis Portugalliæ Regis filiam, an. 1520. ductam, ex qua præter *Johannam*, Principi Portugalliæ Johanni nuptam, & *Mariam*, Maximiliani II. Imp. conjugem, *Philippum II.* Hisp. Regem, nec non *Ferdinandum*, an. 1545. in infantia extinctum, genuit.

Cætera laudatissimi hujus Imperatoris facta persequantur alii; nobis isthoc unum adhuc addidisse sufficit, illum res hæctenus fortiter excellenterque gestas præclara prorsus atque rara obsignasse coronide. Nam sponte sua an. 1556. tam Imperio Ro-

mano-Germanico, quàm Hispaniarum regno se abdicavit, & illud *Ferdinando* fratri, hoc verò *Philippo* filio transmittens, Hieronymianum S. Justi (in Extremadura Hispaniæ provincia) monasterium ingressus est; ubi per biennium sacris meditationibus vacavit, & anno demum 1558. die 12. Septembris supremum diem obiit.

Jam quod ad nummum nostrum propiùs, & primo quidem ad effigiem in eo occurrentem attinet, non est, quod miremur, Carolum loco Imperialis coronæ sive diadematis solo *pileo* tectum comparere: Nam gemino capitis tegumento etiam avum ipsius, *Maximilianum*, in nummis contentum fuisse, supra vidimus. At illud novum videtur & insolitum, principis hujus nomen & titulum (quo CAROLVS ROMANORUM IMPERATOR audit) collo ejus adscriptum esse; Immo magis adhuc infrequens, combinatam utriusque lateris inscriptionem certo *carmine disticho* comprehendi, quod ita habet:

*Tecum regna Deus partitus, ut imperat astris
Ille, regenda tibi sic sola concta dedit.*

Sensus horum verborum est, supremum omnium rerum arbitrum soli polique regimen ita cum Carolo divisisse, ut servato sibi *astrorum*, i. e. cæli, imperio, ipsi *sola concta* (sive cuncta) h. e. omnes terras, suo nomine regendas commiserit,

Verùm

Verùm ex isto Caroli encomio apparet, nummum hunc non ab illo ipso, sed potius ab alio quodam in honorem ejus, cufum esse: cum non modo, Imperatorem ipsum tam arroganter loquuturum fuisse, nemo sibi facile persvadeat; sed etiam, si vel maximè tanto fastu voluisset uti, prima potius persona debuisset dicere: *Mecum regna Deus &c.*

Aversæ partis expansa imperialis biceps & coronata *aquila* pectore scutum bipertitum præfert, hinc fasciam *Austriacam*, inde verò castellum, regni cognominis *Castella dēryua*, exhibens. Sed, quid in nummo illo hoc duplex & diversus annorum 1532 & 1534 numerus sibi velit, non capio. Dicerem quidem, duorum diversorum Imperialium, quorum alter an. 1532. alter autem 1534. cufus sit, typos monetarios casu quodam permutatos, & alterius *aversam* partem parti alterius *aversæ* adaptatam esse; sed obstat metrica inscriptio, ita comparata, ut hexameter uno nummi latere, pentameter autem huic respondens altero legatur. Interim sit penes accuratiores harum rerum censores judicium, annon fieri potuerit, ut (quemadmodum inter cufendum frequenter evenire solet) typus monetarius *aversæ* partis violento ictu ruptus, ei demqve fortè post biennium reparato novus tum præsentis anni numerus inscriptus sit?



II.



CAROLVS. V. ROMANORVM. IMPERATOR. SEMPER. AVGVSTVS. *Effigies Imperatoris togati & pileati, &c.*

AQVILA. ELECTA. IVSTE. OMNIA. VINCIT. MDXXXVII. *Scutum coronatum, cum aquila bicipite, inter duas columnas, addito lemmate: PLVS VLTRA.*

Hic iterum civili magis quam Imperatorio habitu CAROLVS V. nobis sistitur, princeps aliàs omnium annalium consensu sago non minus quam toga celeberrimus. Sed, quæ in aversa nummi parte legitur inscriptio, *Aquila Electa Ivste Omnia Vincit*, non tam ad ipsum Carolum quam ad illius proavum, *Fridericum III.* (vel IV.) Imp. spectat. Is enim quinque istas vocales A. E. I. O. V. quibus symboli vice utebatur, nonnunquam ita

ità explicare fuit solitus; Licet etiam aliquando hoc modo reddiderit: *Austria Extendetur In Orbem Vniuersum*, *Aller Ehren Ist Österreich Voll*; aut: *Austria Est Imperare Orbi Vniuerso*, *Alles Erdreich Ist Österreich Vnterthan*. Qua de re legi meretur *Petri Lambecii* diarium S. itineris sacratissimi Imp. Leopoldi ad Marianam Styriæ cellã, p. 14. sqq. ubi affertur vera & genuina istarum literarum explicatio, ex libro aliquo ipsius Friderici Imp. autographo, qui in Vindobonensi bibliotheca asservatur. De *aquila duplici*, S. R. Imperii tessera, quæ in unciali nostro scuto coronato, & torque aurei velleris cincto exhibetur, supra diximus. Binæ autem *columnæ* scutum hoc utrinque stipantes, cum lemmate supervolante: *PLVS VLTRA*, notissimum Caroli V. symbolum constituunt. Quod equidem nonnulli putant Imperatori felicissimum illum maris Atlantici trajectum fuggessisse, quo audaces *novi* in occidente *orbis* detectores famosas *Herculis columnas*, Calpen & Abilam, ultimos olim nautarum limites, transgressi sunt. Sed isti non attendunt, jam dudum ante Carolum V. hanc expeditionem à Christophoro Columbo (Martinum Behaim, Noribergensem, sequuto) auspiciis *Ferdinandi Catholici* & *Isabella* conjugis susceptam esse. Quare veritati magis consonum est, Carolum nostrum symbolo isthoc respexisse ad geminam victoriam, anno 1535. tam à *Goleta* quam

Tuneto in Africa reportatam; utpote qua ultra mare mediterraneum, & utramque Herculis columnam, victricia arma protulit. Vnde *Ferrantes Gonzaga*, supremus belli Dux Imperatoris, & consiliorum ejus particeps, ipsi svasurus, ut victoriam cæptam contra Mauros Tingitanos, aliosque Africæ populos prosequeretur (teste *Emanuele Thesau- ro*, nel Cannocchiale Aristot. p. 66.) literis suis censuit, *che sua Maestà in tal guisa perfettamenteemente adempirebbe il gloriosomotto PLVS OV'TRE, che dalla vittoria della Goletta e di Tunisi haveva havuto principio*; i.e. Majestatem ejus hac ratione optimè impleturam gloriosum istud symbolum PLVS VLTRA, quod victoriæ Goletanæ Tunetanæque sua deberet incunabula.



CAROLVS. D. G. ROM. IMP. HISP. REX. *Effigies Caroli V. Imp. coronati, &c.*

DA.

DA. MIHI. VIRTVE. CON. HOSTES.
TVOS. *Insignia.*

Ecce tandem CAROLVM V. loco pilei, quem hactenus in nummis suis gessit, augulliori capitis tegumento, *corona* scilicet, ornatum. Et quidem summo merito; cum simul ROMANORUM IMPERATOR & HISPANIARUM REX, ut in unciali nostro appellatur, fuerit. Clausam verò non tantum gerit coronam, sed & alio prorsus modo efformatam, ac in nummis Maximiliani I. vidimus. Nam propè abest à tiaræ sive mitræ alicujus figura, diademate circumdata, ex quo circuli nonnulli prodeunt, quorum medio Imperiale pomum est impositum. Peculiarem hanc & *Imperialem* (ut vulgò vocant) coronam, si non excogitavit *Carolus V.* noster, primus tamen adhibuisse dicitur. Ità enim Cl. *Spenerus*, Op. Herald. pt. I. c. 6. p. 312. §. 16. *Ante Carolum V. hanc formam planè introductam non fuisse, sed antecessores usus communi clausarum coronarum forma legi; quod si exemplo refelli nequit, crediderim, eo imprimis tempore Augustum, cum alii Reges primùm clausis coronis uti inciperent, suum quoque mutasse capitis gestamen, ut distinctum à reliquis maneret.*

In Inscriptione averfæ partis Imperator divinam contra inimicos opem implorat, his Deum verbis alloquens:

loquens: DA MIHI VIRTVTem CONtra HO-
 STES TVOS; quibus forsan precibus usus est, dum
 contra infideles Mauros expeditionem suscepit, plus
 simplici vice in *Africam* trajiciens, & primò quidem
 ex voto rem gerens, deinde verò aliquantulum infeli-
 cius. Quod denique *insignia* hujus lateris concernit,
 scutum majus, hìc occurrens, mediante cruce florida
 (*flouronnée*) cujus cuspides ubiq; prominent, in qua-
 tuor æquales partes distribuitur. Primus quadrans
 continet fasciam Archiducatus *Austriæ*; secundus li-
 liis *Burgundicis* conspersus est; tertius habet tæniâs
 obliquas *Burgundicas*; & quartus deniq; leonem o-
 stendit, Comitatus *Flandriæ* (per nuptias Mariæ Bur-
 gundicæ ad Austriacos devoluti) tesseram. Medio hu-
 ic quadripartito scuto incumbit parmula itidem leo-
 nem præferens, qui ducatum *Brabantie* (pari modo
 ab Austriacis acquisitum) indicat. Nam in hoc du-
 catu, & quidem *Antverpiæ*, quæ notissima ac niti-
 disima illius urbs est, præsentem uncialem num-
 mum culum esse, abscissa *manus* arguit, quæ superio-
 ri loco Imperialis nostri conspicitur, utpote qualem
 (unà cum socia) civitatis hujus insignia continent,
 credulis nonnullis fidem facientia, nominis *Antver-
 piæ* etymon ab *Hand-werpen* esse derivan-
 dum, quod tamen aliis sagacio-
 ribus minimè proba-
 tur.

FERDINANDVS I.

I.



FERDINANDVS. DEI. GRACIA. PRINCEPS.
 HISPANIARV. *Eqves cataphractus & co-*
ronatus, vexillum aquila insignitum gerens;
sub quo numerus anni 1522.

ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX. BVRGVN-
 DIE. ET. CARINT. *Scutum majus corona-*
tum, & torque ordinis Aurei Velleris cin-
ctum, nec non decem minoribus parmulis
circumdatum.

Avo nepotem successisse vidimus. Iam verò fra-
 trem frater excipit, *Carolus* scilicet V. lau-
 datissimum & immortalis memoriae Impera-
 torem FERDINANDVS I. iisdem cum ipso paren-
 tibus, *Philippo* Austriaco, Hispaniarum Rege, ac
Ioanna, Ferdinandi Catholici filia, natus, & an-

F

no

no 1503. d. 10 Martii Compluti in hanc lucem editus. Is in nummo nostro armatus sive loricatorum equo pariter armato insidet, capite pileum seu coronam archiducalem gestans, dextra verò vexillum, *aquilam μονοκέφαλον* exhibens, cujus pectori scutulum *Austriacum* impressum est.

Quid autem sibi vult ista aquila? Certè *Romani Regni* symbolum esse nequit: nam Ferdinandus anno 1522. nondum Rex Romanorum extitit, sed hac dignitate demum an. 1531. ornatus est. Neque dici potest, volucrum istam *Tyrolensem* Comitatum designare, quo fortè nummus noster cusus sit; nam si hoc esset, Ferdinandus in averso uncialis hujus latere potius *Comes Tyrolis*, quam *Dux Carinthiae*, appellaretur. Nihil aliud ergo hinc exhibetur, quam per-antiquum *S. R. Imperii labarum*, Ferdinando tanquam *Duci Würtembergensi* competens. Nam illud olim Ludovicus V. Imp. an. 1336. Ulrico Comiti Würtembergensi contulit, cujus posterius (deinde Ducum titulo aucti) *Signiferi Imperii* dicti sunt. Iam verò postquam an. 1519. alius Ulricus, Henrici filius, Dux Würtenb. à Svevico foedere ducatu suo exutus fuit, Carolus V. Imperator eundem fratri *Ferdinando* tradidit; qui eam ob rem non modò insignia Würtembergensia aversæ parti uncialis nostri (ceu mox videbimus) impressit, sed etiam ipsum *S. R. Imperii labarum*
effi-

effigiei suæ addens, *Signiferi* habitu se exhibere voluit. Eidem quoque vexillo sive labaro inscripta videas duo *Ignaria* Ordinis Aurei Velleris; quæ etiam in ornatu equi occurrunt, quatuor angulis *decussatæ crucis* comprehensa, de qua alibi latius dicendi subministrabitur occasio.

Sed & ornatus ille equi, cui Ferdinandus insidet, in inferiori limbo aliquot literas habet, VERTINA, vel similes, quarum sensum haut facile conjicias. Procul dubio tamen *symbolum* quoddam principis hujus exprimunt, ea in re avum *Maximilianum* imitantis, qui solitus fuit in simili equi sui tegumento his verbis Germanicis uti: HALT MASS IN ALLEN DINGEN, prout elegans nummus ipsius, an. 1509. cusus, apud *Luckium* Syll. Numm. p. 17. testatur. Hinc, si quid harrolari licet, dixerim, literas ignotam illam vocem VERTINA constituentes reliquias esse symboli: Ut *fERT dIviNA voluntas*; cujus dicti cetera elementa partim inter plicaturas equestris tegumenti lateant, partim verò ab altero equi latere extantia concipienda sint.

Aversæ partis scutum medium, coronatum, & torque ordinis Aurei Velleris cinctum, è quatuor magnis quadrantibus, in suos iterum laterculos divisos, est compositum. Primus eorum quadripartitus, fasciam *Austriacam*, lilia novum, &

baltheos vetus *Burgundia* solum, nec non leonem *Habsburgicum*, continet. Secundus & tertius quadrans, denuò quadripartitus, *Legionense* & *Castellanum* deryua repetit, leonem scilicet rubrum & castellum aureum; idque *Hispaniarum* regno denotando, cuius *Infans* sive Princeps Ferdinandus in nummo nostro dicitur. Vltimus quadrans bipertitus est, & hinc palos *Arragonicos*, inde verò aquilas *Siculas*, (ad Hispaniam quoque pertinentes) ostendit.

Hoc scutum majus haecenus descriptum stipatur decem aliis parmulis minoribus, in orbem (*en orle*) dispositis. Prima, eaque superior, *Austriaca* est: hanc à dextris excipit supra delineatum *Styria* solum; cui à sinistris opponitur tesfera *Carinthia*. Sequitur ad dextram leo *Habsburgicus*, eique è regione respondet aquila *Tyrolensis*. Pari modo sibi opponuntur deryuata *Austria superioris* & *Carniola*; nec non clypeus *Württembergicus*, tria cornua cervina continens, & scutum *Landgraviatus Alsatia*: Infimum denique & extremum locum parmula *Burgundica*, baltheis aliquot dextris obliquè fasciata, occupat.

II.



Vir barbatus & mitratus, dextra sceptrum tenens, ac è porticu prospiciens: inferiùs hæc verba: ISAIE. VII. CA. ECCE. VIRGO. CONCIPIE. ET. PARIET. FILI. ET. VOCABIT. NOMEN. EIVS. EMANVEL. NOBISCV. DEO.

ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX. BVRGVNDIE. ET. CARINT. Insignia, torque aurei velleris circumdata, & decem aliis parmulis cincta.

Hunc uncialem argenteum, è gazophylaciò Ill.^{mi} Comitum Schwartzburgici nobiscum communicatum, primo quidem intuitu nemo facile, opinor, FERDINANDI I. Imperatoris nummis annumerabit; cum in eo neque nomen istius principis, nec anni numerus ad tempora illius pertinens, appareat. Attamen, si *aversam* partem Imperialis

lis hujus videas, illam cum averfo præcedentis nummi latere ex asse convenire, immò tam quoad insignia, quam inscriptionem, unam eandemque esse deprehendes. In utroque enim numismate occurrunt verba: ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX. BVRGVNDIE. ET. CARINTHIA; utrinque etiam medio loco scutum majus extat, torque Aurei Velleris cinctum, quod *Austria*, *Burgundia*, *Habsburgi*, *Legionis*, *Castellæ*, *Arragonia*, & *utriusque Sicilia* tesseras complectitur: Denique decem illæ, quæ in orbem circumpositæ sunt, parmulae pari modo atque ordine scutaria *Austria*, *Carinthia*, *Tyrolis*, *Carniola*, *Alsatia*, *Burgundia*, *Wurtembergici Ducatus*, *superioris Austria*, *Styria*que symbola comprehendunt. Jam si præcedens nummus ad *Ferdinandum I.* (quamvis nondum Regem aut Imperatorem, sed tantum Hispaniæ Infantem) spectat; nullum superest dubium, quin ad eundem hic quoque, quem describimus, imperialis referendus sit.

Adversa verò sive prior ejus facies indigebit Oedipo. Nam licet facilè cuivis intuenti pateat, verba ibi occurrentia ex VII. CAPITE ESAIÆ vatis Judaici deprompta esse, ubi commate 34 ita habent: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel*, (quæ
ultima

ultima vox idem, ac NOBICVM DEUS, significat); Haud tamen æquè facilè conjicias, quem in finem Ferdinandus hoc illustre V. T. de futura ἐνοραγήσει filii Dei vaticinium nummo suo inscripserit. Et quæso, *senex* ille, è porticu (foliorum & equitum figuris ornata) prospiciens, cujus personam sustinet? *Ferdinandum* ipsum esse, non dixeris; cum neque ætas neque habitus permittat. Nec *Esaiam* prophetam reputabis; cum ei neque sceptrum neque cidaris conveniat. *Davidem* fortè suspicarer, à quo virginem illam θεοτόκον, quam oraculum innuit, genus duxisse novimus; sed ejus nulla fit in nummo nostro mentio. Hinc, quid de hoc ænigmate statuam, non habeo, sed illud potius alius, me sive oculatoribus, sive in his rebus indagandis felicioribus, discutendum relinquo.

III.



FERDINAN. D. G. BOEM. HVNG. DAL.
CROA. REX. INFA. *Effigies Ferdinandi
armati & coronati, dextra sceptrum, sinistra
gladium tenentis.*

HISP. ARCHID. AVST. DVX. BVR. SLE. MAR.
MO. *Insignia coronata. 1529.*

En ipsam demum FERDINANDi faciem, qua
juvenilibus egressus annis, primo virilis ætatis
flore fuit conspicuus. Armatus autem hîc
apparet, atque coronatus, nec non (ad Avi Ma-
ximiliani modum) sceptro instructus & gladio;
quorum alterum regendæ ditionis, tuendæ verò
alter solet esse symbolum. Immò novis etiam in
hoc nummo honoribus auctus, BOEMia, HVN-
Garia, DALmatia, CROAtiaque REX audit,
quæ regna jure uxorio ad ipsum devoluta sunt.
Conjugem enim habuit *Annam*, Vladislai Hun-
gariæ

gariæ & Bohemiæ Regis filiam, an. 1521. mense Maio ductam, cùm jam ante sexennium Maximiliano I. Imperatori nepotum suorum nomine Viennæ desponsata fuisset, ea lege, ut alterutri eorum, Carolo scilicet, aut Ferdinando, nuberet. Qua de re legi meretur *Sigism. à Bircken Oestereich. Ehrenspiegel* l. 6. c. 17. p. 1329. sqq. Fuit autem hæc Ferdinandi uxor soror unica & heres Ludovici II. Immaturo, Hungariæ & Bohemiæ Regis, cui proinde an. 1526. infelici contra Turcas prælio ad Mohacz casu, affinis iste (Ferdinandus) in utroque regno successit, & amplissimas denuò provincias, familiæ suæ Austriacæ adquisitas, ad posteros transmisit.

Has inter primo loco, in unciali nostro memoratur BOEMIA sive *Bohemia* regnum, dubio procul eam ob causam, quod in illo nummus hic signatus sit. Sequitur HVNGARIA, unà cum DALMATIA & CROATIA, quæ tria regna jam inde a sæculo XI. unita fuerunt. Ultimus enim *Dalmatia* (quæ veterum Illyricum est) & *Croatia* (quam à M. Valerio Messala Corvino, Dalmatarum & Pannonum domitore, *Corvatiam* dictam autumant) rex fuit *Zolomerus* quidam: sed illo sine liberis defuncto, vidua ejus multis hostium injuriis vexata fratrem suum Ladislaum S. *Hungariæ* Regem evocavit, qui & sorori opem tulit, & utrumque simul regnum armis occupatum coronæ Hungariæ annexit.

xit. Vid. *M. Ioh. de Thwroc2*, Chron. Hung. pt. i. Cap. 56. & *Anton. Bonfin.* Rer. Vng. Dec. 2. lib. 4. p. 224.

Ad reliquos Ferdinandi titulos quod attinet, circa nomen *INFantis HISPANIAE* sive *Hispaniarum* notandum, illud ita divulgum esse, ut altera ipsius pars ad verso nummi latere, a verso autem altera expressa sit, quemadmodum supra p. 15. indicavimus. Porro princeps noster hic non tantum, ut solet, *ARCHIDux AVSTRIAE* & *DVX BVRGUNDIAE* appellatur; sed etiam *SLESIAE* (vel *Silesiae*) Ducis, & *MARCHIONIS MORAVIAE* elogio gaudet, quae provinciae ad *Bohemiae* regnum pertinent. *Silesia* enim, amplissimus ille ducatus, qui vel in 17. alios dividitur, licet olim in Polonorum potestate fuerit, paullatim tamen vicinis ab altera parte Bohemis cecidit, quorum regibus harum ditionum proceres se submiserunt. Pari modo etiam *Moravia*, olim regni nomine illustis, ultimo ipsius rege *Zventopulco* ab *Arnolpho Imp.* proscripto, à Polonis quidem & Hungaris fuit occupata; sed inde Marchionatus titulo venit, & *Vlrici* ac *Brzetislai Ducum* auspiciis in provinciam regni Bohemici redacta est.

Insignia averse partis ita comparata sunt, ut quadripartiti majoris scuti prima & quarta area *Leonem Bohemicum* exhibeat, qui aquilae nigrae, Bohemorum veterum tesserae, succedit; & quidem ex donatione *Friderici I. Imperatoris Vladislao Regi* circa

circa an. 1158. vel 59. facta. Cujus etiam masculam virtutem *duplici* seu bifulca leonis hujus *cauda* putant exprimi; licet alii dicant, eam ideò geminatam esse, quod Bohemi leonem ità pictum, ut caudam inter crura absconderet, simiam arbitrati & averfati fuerint. Secunda & tertia hujus scuti area tæniis *Hungaricas*, jam aliquoties nobis dictas, complectitur; Incumbens verò huic clypeo majori parmula ex symbolo *Austriaco & Castellano* bipertita est.

IV.



FERDI. D. G. RO. VNG. BOE. DAL. CRO.
ZC. REX. *Effigies Ferdinandi armati & coronati, dextra sceptrum, sinistra gladium tenentis.*

INF. HISPA. ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX.
BVRG. *Aquila μονοκέφαλη, pectore insignia gestans.*

Habitus & tituli FERDinandī, hoc nummō expressi, ab iis parum differunt, quos unciali præcedenti vidimus. Accesit tamen nova dignitas, ROMANI scilicet REGIS axioma, quod meritò amplissimis VNGARIA, BOEMIA, DALMATIA, CROATIAQUE REGIS appellationibus præmittitur. Nam ad præclarum illud honoris culmen, & proximum ab Imperatoria dignitate gradum, Princeps noster Coloniae an. 1531. ipsis Nonis Januarii, Caroli V. fratris commendatione est euectus, & paullò post Aquisgrani solenni more diadema regium obtinuit.

Spectat huc aquila μονοκέφαλος & averſi lateris, quam ordinariam ROMANI REGNI tesseram esse, jam suprap. 16. observavimus. Cur autem avis ista uno tantum capite sit prædita, cum illa, qua Imperatores utuntur, duplici sive geminato gaudeat, LIMNÆUS Jur. Publ. I, 14, 29. eam putat esse rationem, quod Romanorum Rex unicum saltim Imperii caput repræsentet, Imperator verò duplex, utpote Imperatoris simul & Regis Romanorum personam sustinens. Sed hujus sententiæ arbitros nos jam non profitebimur.

Pergimus potius ad clypeum, quem regia isthæc aquila pectori impressum gerit. Bipertitus ille est, & dextro latere castellum *Castellanium* exhibet, Ferdinando nostro ut INFANTI HISPANIARUM competens;

petens; sinistro autem lateri fascia *Austriaca* indu-
cta est, reliquis ejus titulis respondens, quibus in hoc
nummo non minùs ARCHIDVX AVSTRIÆ,
quam DVX BVRGundia vocatur,

V.



FERDINAN. D. G. ROMA. BOEMI. HVNG.
&Z. REX. *Effigies Ferdinandi armati & co-
ronati, dextra sceptrum, sinistra gladium te-
nentis.*

INFANS. HISPANIAR. ARCHIDVX. AV-
STRIÆ.&². *Aquila μονοκέφαλῶς, insignia
pectore gestans.*

En alium FERDINANDi nummum, auspiciis
ejus denuò in *Bohemia* signatum; quanquam
paullò aliter effectus sit, ac ille, quem n. III.
consideravimus. ROMANI enim Regis titulo non
tantùm auctior est, sed etiam averfa parte *aquilam*

μονοκέφαλον, dignitatis hujus tesseram, exhibet, cujus pectori insignia impressa sunt. Deest autem *Dalmatia Croatiaque* Regis nomen, quod sola τ&ζ. figura arguit; nec non *Silesia* Ducis, ac Marchionis *Moravia* titulus in priori illo numismate conspicuus. Reliquæ cæteroque BOEMIE & HVNGARIAE Regis, pariterque INFANTIS HISPANIARUM & ARCHIDUCIS AVSTRIÆ appellationes hîc repetuntur; ut & quadripartita *Bohemia, Hungariaque* Insignia, quorum medio parmula *Austriaco-Castellana* incumbit. Sed de his, eorumque significationibus jam aliquoties nobis dictum est, adeoque non attinet hîc plura addere.

Id tantum in lectoris gratiam, ac superflue iconum repetitionis fugiendæ ergo, hîc notamus, similes ferè Imperiales, variis annorum (â 1547 ad 1558.) numeris aduersa parte notatos, extare, qui *barbatam* Principis nostri exhibent effigiem, sub qua partim parmula *Austriaca* conspicitur, partim verò *coronata litera F*, nominis Ferdinandi procul dubio compendium.

VI.



FERDINAN. D. G. ROM. VNG. BO. DA. GR.
 REX. *Effigies Ferdinandi armati & corona-
 ti, dextra sceptrum, sinistra gladium tenentis.*
 INF. HISPA. ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX,
 BVR. *Aquila monoxē Φαλ &, insignia pecto-
 re gestans.*

HActenus FERDINANDi Imperiales in *Bo-
 hemia* signatos recensuimus: Nunc verò
 uncialem exhibemus quem in *Hungaria*
 cudi fecit. Id enim arguit VNGariae Regis titulus
 in hoc nummo statim post nomen Regis ROMA-
 norum occurrens, adeòque reliquis omnibus *Bo-
 hemia, DAlmatia, CROatiaque* Regis titulis præ-
 positum; nec non tessera *Hungarica*, in clypeo
 illo, quem Regia averfæ partis aquila pectore gerit,
 potiozem locum occupans. Nam quadrupartitæ
 istius

istius parmulae prior area, tæniis aliquot transversis exarata, nil nisi *Hungariam* denotat; cujus quatuor flumina primaria, Danubium scilicet, Dravum, Savum & Tibiscum, argenteis hisce in miniato campo ductibus designari, communis est opinio. Neque verò insolitum esse, ejusmodi fluvios insignium loco habere, V. Cl. *Godofredus Rhonius* (elegantissima *de Iohanneis Vratislaviensibus* dissertatione) *Theobaldi* Bohemiae principis, ac Regis Vladislai fratris, exemplo docet, qui tria provinciae suae flumina, totidem tæniis argenteis expressa, clypeo inseruit. De *Nileo* Ovidii (Metamorph. V, 187.) ne dicam - - qui se genitum septemplice Nilo

*Ementitus erat, clypeo quoq; flumina septem
Argento partim, partim calaverat auro.*

Secunda scuti nostri area leonem *Bohemicum* complectitur, quem *Friderici I. Imp.* donum esse diximus. Tertia ex fascia *Austriaca* & obliquis *Burgundiae* baltheis bipertita est. Quarta verò, denudò quadripartita, *Castellanum* & *Legionense* deryma repetit, cujus utriusque usum *Ferdinando*, ut *INFANTI HISPANIARUM*, competiisse notum est.

Quae tandem sub ἀσπίδο Φόγω uncialis nostri alite, in ipsa inscriptionis peripheria, apparet minor parmula, ita bipartita, ut hinc aquilam, illic verò palos aliquot exhibeat, *Austriæ superioris*, sive principatus supra *Anasum* tessera est.

Quam

Quam regionem, vulgò das Ländlein ob der Ens/
Henricum Marchionem Austriae, an. 1516. cum Hen-
rico Superbo Bavariam restituere iuberetur, inde
avulsisse, supra p. 29. jam notavimus.

VII.



FERDINAND. D. G. ROM. HVN. BOE.
DAL. C. REX. *Effigies Ferdinandi barbati,*
armati & coronati, &c.


INF. HISP. ARCHIDVX. AVSTRI. DVX. BVR.
1555, *Scutum cum aquila simplici, aliud scu-*
tum pectore ferente; supra majus illud scutum
eminet S. Maria, & ad utrumque latus ad-
scripta sunt litera: K. B.

Hungariae regnum FERDINANDO nostro ex
hereditate uxoria obtigisse, supra diximus.
Cui successioni licet Ioannes de Zapolia, Co-
mes Scepusius & Transylvaniae Wojevvoda, ab
Hungaris nonnullis lectus, nec non Solymanni Tur-

H

cici

cici auxiliis adjectus, sese opposuerit; Prævaluit tamen Ferdinandus, æmuloque isthoc anno 1540. mortuo regnum solus tenuit. Hinc ut HVN*g*aria REX præsentem denuò uncialem cudi jusfit, quemadmodum ex plurimis aversæ partis indiciiis manifestum est.

Nam, quæ majori Imperialis hujus scuto imminet, *S. Maria* , notissima *Hungaria Patrona* est, cujus tutelarior divæ effigiem innumeris hujus regni nummis tam aureis quàm argenteis, impressam videas. Tum etiam in minori ista parmula, quæ aquilæ simplicis *Romane* pectori incumbit, præcipuum locum tenent insignia *Hungarica*. Primam enim quadripartiti istius clypei aream transversæ hujus regni tæniæ occupant, quas nummo præcedenti explicavimus. Sequitur crux duplex, sive (ut vocari amat) Patriarchalis, colliculo triplici insistens, & è corona erumpens, quæ pari modo ad *Hungariam* spectat, & Stephano R. circa an. 1000. ob strenuè navatam in religione Christiana propaganda operam, à Pontifice Romano dono dicitur. Licet alii symbolum istud Geysæ, Stephani hujus parenti, & Strigoniensis Ecclesiæ fundatori, tribuant. Tertius, qui succedit, laterculus tria capita aversa leonina (sive pardalina) coronata continet, solennem *Dalmatiæ* tesseram, cujus regni fata, & qua
ratio-

ratione ad Hungaros pervenerit, supra enarravimus. Ultimo denique loco *Leo Bohemicus* apparet; & toti incumbit parmula *Austriaca*.

Superfunt literæ K. B. ab utroque majoris scuti latere conspicuæ, quas ab hoc Ferdinandi ævo ad nostra usque tempora in plurimis Imperatorum nummis observare licet. Significant autem istæ certum aliquem Hungariæ locum, largo præstantioris metalli proventu nobilem, & *Keres Bania*, seu (quod aliis placet) *Kremitz Bania*, vel etiam *Kapnick Bania* dictum, ubi nummi hujus regni signari solent. Nam memoria hujus loci communiter nummis ibi cufis notari solet, sed initialibus tantum literis; pari modo ac olim, declinante Imperio, veteri Occidentis Orientisque pecuniæ officinarum monetariarum notas (quas Ill. *Medio-barbus*, aliique nummographi explicârunt) impressas fuisse novimus.

Quod reliquum est, uncialis hic quidem annum 1555. præfert, sed idem typus aliorum quoque tam præcedentium, quam sequutorum annorum numeris signatus visitur.

VIII.



FERDINAND: D: G: ROM: HVN: BOE: D:
 CR: REX. *Effigies Ferdinandi barbati & ar-*
mati, &c.

INF: HIS: ARCHIDV: CARINTIE: D: BVR:
Aquila μονοκέφαλ & scutum pectore gerens.

Qvos glorioso hactenus *Archiducum* titulo ornatos principes in nummis vidimus, non alii fuerunt quam *Austriaci*. Hôc unciali autem FERDINANDus noster etiam ARCHIDVx CARINTHIAE vocatur, quod observatione dignum est. Nam ista veterum *Carnorum* sedes, quam hodie *Carinthiam* appellamus, communi aliàs usu *Principatûs* saltim seu *Ducatûs* nomine venire solet; & quidem suo merito, cùm inde à Romanorum temporibus peculiare *Duces* habuerit, qui è Bavaris primùm, deinde è Francis lecti sunt. Cæterum

terum inter hos *Ingevo* Comes, à Carolo M. Dux Carinthiæ constitutus, postquam Hunnos Imperio infestos fortiter represit, singularem hanc ab Imperatore gratiam obtinuisse dicitur, quod principatus ejus an. 791. *Archiducatus* dignitate auctus ornatusque fuerit. Qui cum ad *Austriacos* demum, Ludovici Imperatoris beneficio, esset devolutus, iidem quoque Carinthiæ respectu *Archiducum* titulo nonnunquam, ut in hoc nummo Ferdinandus fecit, usi sunt.

Carinthiæ etiam sunt insignia, quæ aversæ partis aquila *μονοκέφαλος* pectori impressa gerit; scutum scilicet bipertitum, cujus priorem aream tres leones gradientes implent, posteriorem verò fascia transversa dividit. Leones isti antiquam *Sveviæ* Ducum memoriam conservant, è quibus Otto, Hermannii frater, cui in tertiam generationem posterius successerunt, ab Ottone III. Imp. an. 989. Carinthiæ præfectus est. Postquam verò principatus hic sive Archiducatus ad *Austriacos* pervenit, priori tesseræ accessit fascia *Austriaca*.

Infimo deniq; hujus partis loco *globi Imperialis* superius in crucem desinentis, figura inscripta est, numerum 72. comprehendens; de quo nullum dubium est, quin certam minoris pecuniæ summam, sive cruciatis, quos vocant, sive aliis id genus nummis constantem, & uncialis nostri pretio æquipollentem denotet.



FERDINANDVS D:G:R:O:M:IM:SEM:AVG:GER:
 HV. *Effigies Ferdinandi barbati & armati,*
 &c. 1559.
 BO. ZC. REX. IN. HI. ARCH. AVS. E. C. ZC.
Aquila Imperialis biceps, scutum pectore
gestans.

Qui hactenus *Regis* saltim & *Archiducalibus* titulis ornatus fuit FERDINANDus, hinc tandem *Imperatoria* dignitate auctus compareret, & ideo *Electus Romanorum Imperator SEMper AVGustus* appellatur. Succesit autem in hoc munere *Carolo V.* fratri, qui ipsi an. 1556. Imperii habenas tradidit, cum supremis istis Christiano orbe honoribus renunciatis, in Hieronymianum Hispaniae monasterium, tanquam in securum quietis ac devotionis portum, se reciperet. Nec indignus fuit Ferdinandus, tanto Imperatori suffici, quo de
 (*Thuano,*

(*Thuano*, prudentissimo scriptore, *Hist.* l. 21. præunte) meritò dubites, an ullum perfecti magis & ad omnem virtutem expressi Principis exemplar nostra & retrò sæculorum memoria possit reperiri, quod iis, qui ad Imperium virtutis via grassantur, ad imitandum proponi queat. Laudatissimi enim hujus antecessoris vestigiis insistens Ferdinandus in id sedulò incubuit, ut fraternæ non tantùm purpuræ sed & virtutis heres esset; princeps sanè prudentia, justitia, liberalitate, mansuetudine, & præcipuè pietatis atque pacis studio, nulli secundus. Abstinit autem vivo fratre *Imperatoris* titulo, eundemque non nisi post excessum Caroli, qui an. 1558. contigit, adhibuit. Exindè verò se *Electum Imperatorem* dixit, quo nomine etiam successores ejus in hunc usque diem uti solent; & addidit *GERmaniae Regis* appellationem, quam dignitatem jam aliquot retrò sæculis cum Imperatorio axiomate conjunctam fuisse novimus.

His titulis ergo nobis Ferdinandus in præsentì unciali sistitur, ac præterea non tantùm more solito *HVngariae, BOhemiaeque &c. REX*, ut & *Infans Hispaniarum* audit, sed etiam *ARCHidux AVStriæ Et Carinthiæ* vocatur; adeòque binos illos Archiducatus, de quibus ad nummum præcedentem diximus, hîc commodè conjunctos videas. Simplicis autem aquilæ loco, quam princeps noster hæctenus,

tenus, ut *Rex Romanus*, adhibuerat, *duplicem* seu *bicipitem*, quæ S. R. *Imperii* dēi *yma* est, in unciali nostro cælatam cernimus. *Insignia* tamen, quæ a vis ista pectore præfert, eadem omninò sunt, quæ nummo proximè antecedenti jam consideravimus; *Carinthia* scilicet tessera, eam procul dubio ob rationem hîc denuò expressa, quod in isto principatu, vel si mavis archiducatu, præfens imperialis noster cufus & signatus fuerit.

X.



FERDINANDVS: D: G: EL: RO: IMP: S: AVG;
GER. H. *Effigies Ferdinandi barbati & armati, &c. 1559.*

BOHEM. & REX. INF: HISP: ARCHID: AV-
STR. *Aquila Imperialis biceps, scutum coronatum pectore gerens.*

Præter solum *ELECTI ROMANORUM IMPERATORIS*
Semper AVGVSTI, GERMANIAQUE REGIS no-
men,

men, & aquilam averſi lateris *bicipitem*, hic nummus, tam quoad reliquos Ferdinandi titulos, quàm *Bohemico-Hungarica* (quæ tamen hîc *coronata* ſunt) inſignia, cum iis probè convenit, quos n. III. & V. deſcripſimus. In eò tamen aliqua occurrit differentia, quod in hoc unciali noſtro ſub ipſa Imperatoris effigie parmula extet, faſciam *Auſtriacam*, ceu gentilitiam Ferdinandi teſſeram, complectens. Sic alios ejusdem typi nummos habemus, an. 1560. cuſos, ubi iſta, quæ protomæ Imperatoris ſubſtat, parmula *leonem* coronatum continet. De quo ſi quæras, quid ſignificet, nihil aliud quàm *Bohemiam* denotare dixerim. Nam in hoc regno uncialia iſta numismata cuſa eſſe, ex eo ſatis liquet, quod in quadripartito averſæ partis ſcuto teſſerario Leo Bohemicus primam & tertiam aream occupet, adeòque tæniis Hungaricis præferatur: Licet inter titulos Ferdinandi regios contrarius ordo obtineat. Alii denique hujus typi imperiales anni 1561. numerum præferunt, ſcutuloque iſto *coronatam literam* F. exhibent, quæ nominis Ferdinandi compendium ſeu monogramma eſſe videtur, prout jam
 tum p. 54. à nobis obſervatum eſt.

XI.



FERDINAND. D: G. EL. RO. IMP. AVG.
GER. HVNG. *Effigies barbata & arma-
ta, &c.*

BOE. ZC. REX. INF: HISP. ARCHID. AVST.
ZC. *Aquila Imperialis biceps, scutum pe-
ctore gerens.*

Quæ in averſa parte hujus nummi aquilæ bicipitis ſeu Imperialis pectori impreſſa eſt par-
mula, teſſeram ſcutariam Principalis Comi-
tatus *Tirolenſis* continet; aquilam ſcilicet *μονοκέ-
φαλον*, coronatam, cujus alis ſemicirculi trifoliati
inſcripti ſunt. Provincia iſta, Italiæ vicina, & à *Te-
riolis* (quod arcis nomen eſt) appellationem ſuam
ſortita, olim Romanorum tempore ſuperioris Rhæ-
tiæ pars fuit, deinde Bavaris paruit, ſuosque ex il-
lis Marchiones habuit, qui Marchiones ad Atheſin
dicti

dicti sunt. Successerunt iis ex Andechfina Sueviæ gente Meraniæ Duces, & numerosam quidem per aliquot sæcula tam Goritiæ quàm Tirolis Comitum progeniem dederunt; sed illa defecit in Henrico, vel si mavis in Meinhardo, ejus ex filia nepote, qui an. 1363. nulla prole relicta ad plures abiit: Superstes igitur Meinhardi hujus mater, Margareta, vulgò ob deformitatem oris **Maultasch** dicta, (quæ primùm Ioannis Henrici, Marchionis Moraviæ; dein verò Ludovici Bavari, Marchionis Brandenburgensis, uxor fuerat) principalem Comitatum Tirolensem in consobrinos suos, Rudolphum, Albertum atque Leopoldum, Austriæ Duces, ordinum consensu transtulit. Adeoque hereditariis domus Austriacæ ditionibus novum accessit incrementum, provincia scilicet, ad spectu quidem horrida præruptisque editissimum montium cacuminibus aspera: re ipsa tamen omnis generis naturæ divitiarum ferax, atque satis commoda: Ita ut in eam aptè quadret Imperatoris Maximiliani I. jocus, provinciam hanc lepidè cum scabrosa hominis agrestis veste comparantis, quæ licet ob deformes plicaturas suas hirta sit & hispida, tuendo tamen corpori affatim inserviat. (Er hat dis Land einem groben Bauerkit-tel verglichen / welcher zwar viel ungestalte Fal-ten (Gebirge) habe / aber dabey gut / warm und

bequem sey) Vid. *S. á Bircken Oester. Ehrensp.* l. 3, c. 8. p. 344.

Cum igitur hoc pacto Tirolensis ille Comitatus ad FERDINANDum quoque IMPeratorem devolutus sit, is tales in eo nummos cudi iussit, qualem hîc contemplandum proposuimus. Immò etiam alios, anno 1556. signatos, qui *Regios* saltim ipsius titulos, adeoque averso latere *aquilam* tantum *simplicem*, seu *μονοκέφαλον*, exhibent, cujus pectori Tirolensis tessera inscribitur.

Cæterùm *Ferdinandus* hic, cujus unciales hæcenus lustravimus, sexagenario major, & 15. liberorum parens, anno demum 1564. die 25. Iulii, qui S. Iacobo Apostolo sacer est, Viennæ supremum diem obiit. Itâ enim ipse prædixisse fertur, cùm (referente *Didaco de Lequile*, Matrimon. Austr. sect. 6. exc. 6. p. 312.) ægrotans hæc verba protulerit: *Spiritus S. noluit, ut morerer ante festum D. Iacobi, ut quomodo is peregrinus apud nos* (Compostellam in animo habuit moribundus Imperator)

*itâ ego Infans Hispaniarum extra
solum natale cum ipso peregriner.*

MAXIMILIANVS I. CAROLVS V.
ET FERDINANDVS I.

I.



MAXI. CARO. E. FERD. D. G. RO. CAES. REG.
HISP. 90. *Tria capita coronata, sinistrum oculum intuenti obvertentia.*

HVNG. BO. DAL. GRO. & ARCHID. AVST. D. BVR. *Aquila Imperialis biceps, scutum pectore gerens.*

VT in primo Classis hujus nummo divorum *Friderici III. & Maximiliani I.* Imperatorum combinatas unolaterè effigies spectavimus, ità jam in præsentì unciali nostro *tres* simul Imperatores, *MAXImilianus I.* scilicet, *CAROLus V.* Et *FERDinandus I.* se nobis intuentos offerunt. Iungebatur ibi *Pater filio*; hìc verò *Avus* cum duobus *Nepotibus* videndus est, ceu abunde ex iis

patet, quæ hæctenus de singulis hisce Romano-Germanici Imperii rectoribus allata sunt.

Ad titulos eorum, numismate hoc expressos, quod attinet, omnes quidem ROMANI CÆSARES sive Imperatores fuerunt, unde etiam meritò aversam uncialis nostri partem *aquila biceps* imperialis occupat. Sed additum REGIS HISPANIAE axioma neque Maximiliano, neque Ferdinando convenit, sed ad solum *Carolus V.* spectat: cùm Maximilianus nihil unquam juris in Hispaniam habuerit; Ferdinandus verò, licet Hispaniarum Infans sive Princeps fuerit, Regium tamen fastigium non sit consequutus. E contrario titulus REGIS HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAEQUE, exclusis reliquis soli *Ferdinando* competit; quem quatuor ista regna, & quæ eò pertinent, Ludovico affine ad Mohazium cæso, uxorio jure obtinuisse supra memoravimus. Cætera ARCHIDUCUM AVSTRIAE & DUCUM BVRGUNDIAE cognomina omnibus tribus Imperatoribus iterum communia sunt.

Pari modo etiam *insignium*, parte adversa nummi nostri comparentium, diversus respectus est. Nam bipertiti istius scuti prior area, castellum *Castellanum* præferens, excluso rursus Maximiliano, ad solum *Carolus V.* ejusque fratrem *Ferdinandum* pertinet; utpote quos Philippi Austriaci, Castellæ Regis, filios fuisse novimus. Fascia autem
 poste-

posterioris areæ *Austriaca* ad omnes iterum spectat, cum una eademque gente, Austriaca scilicet, fuerint progeniti.

Superest in peripheria inscriptionis adversi lateris *numerus* 90. quo de fortassis non facilè cuivis intuitenti certò constitutum credo, quid significet Nam, aut *annum* signati imperialis hujus ut indicet, necesse est, aut æquipollens etiam *minoris monetae* pretium. Iam verò tale pretium minoris monetae, unciali horum temporum nummo respondens, potius numero 72. quàm 90. notari solere, aliquoties observavimus. Annus autem si quis hoc numero exprimeretur, non alius foret, quam 1590. qui cum omnibus hisce Imperatoribus multò sit recentior, conficitur inde, post eorum mortem hoc numisma, in perpetuam trium istorum insignium Austriacæ gentis decorum, ab agnato vel cliente quodam usum, esse.

sus *situ* exhibeantur, ac in priori numismate; nec non, quod uncialis noster ambiguo isto, quem memora-
vimus, *numero 90*, sit deslitutus.



III.



MAXI. I. CAR. V. ET FERD. I. D. G. ROM. CÆS.
REG. HISP. *Tria capita coronata, dextrum
intuenti oculum obvertentia.*

MATTHIAS. D. G. ROM. IMP. S. A. G. H. BO.
REX. *Effigies Imperatoris Matthias, capi-
pite nudo, &c.*

Æris antiqui, Romani præsertim, æstimatori-
bus certa quædam numismata sunt cognita,
quæ *restituta* appellari solent; eam scilicet
ob rationem, quod Imperatores nonnulli, Vespasi-
nus inprimis, Trajanus & alii, antecessorum suo-
rum vultus, pecunia veteri signatos, novis denuò
nummis imprimi curarint, adeòque (ceu ex addita
illorum formula apparet) **RESTITUERINT.** Pari

K modo

modo etiam MATTHIAS Imperator, antecessorum & majorum suorum memoriam *restituturus*, conjunctos simul MAXIMILIANI I. CAROLI V. ET FERDINANDI I. Imperatorum vultus hinc exhibuit. Sed & *suam* altero latere addidit effigiem, ut constaret, cuinam istud pietatis officium acceptum ferendum esset.

Sunt autem trium illorum Imperatorum vultus, hic expressi, unà cum titulis eorum, prorsus iidem, quos nummo proximè antecedenti contemplati sumus; unde magnam veri speciem habet, uncialis istius *Matthiam* quoque auctorem esse, licet averfa ejus pars à nostro differat.

Sed de altero illo quid dicendum, cui τὸ 90. inscriptum est? Sanè, si id de anni 1590. numero est capiendum, Imperialis iste ad *Matthiam* nostrum, ut ROMANORUM IMPERATOREM SEMPER AUGUSTUM, nec non GERMANIA, HUNGARIA, BOHEMIAEQUE REGEM, nullo modo referri potest. Ad tantas enim dignitates ille nondum an. 1590. fuit evelctus, sed solo ARCHIDUCIS AUSTRIAE axiomatico, & cæteris, qui huc spectant, titulis contentus vixit; cùm anno demum hujus sæculi octavo Rex HUNGARIAE, sequenti undecimo Rex BOHEMIAE, & duodecimo tandem (post excessum Rudolphi II. fratris) ROMANORUM IMPERATOR declaratus fuerit.

Verùm de his Matthiæ officiis suo tempore & loco

loco pluribus agendum erit. Hic tantum adhuc observamus, leonem illum, bifurcata cauda præditum, qui sub effigie Matthiæ Imperatoris extat, *Bohemiæ* tesseram esse; unde nummum nostrum in hoc regno signatum esse verisimile fit. Quid autem addita *luna* nota, cornibus sursum versis, & imminens ipsi *Stella*, sibi velit, nos non æquè intelligere ingenuè profiteamur.

MAXIMILIANVS II.



MAX. II. D: G. E. RO. IM: S. AV. GE. HVN.
BO. REX. *Effigies Imperatoris armati & coronati, dextra sceptrum sinistra gladium tenentis.*

ARCHID. AVST. DVX. BVRG. MAR. MO. 1572.
Aquila Imperialis biceps, scutum pectore gerens. K 2 Pluri-

PLurimos Imperator *Ferdinandus* I. ex *Anna* conjugē, Vladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis filia, liberos suscepit: Vndecim nempe *filiis*, quarum septem splendidissimis matrimoniis variis Europæ Regibus Principibusque elocatae sunt; & *filiis* quatuor, quorū tres ad iustam ætatem pervenerunt, quartus autem in prima iterum infantia extinctus est. Hos inter natus maximus fuit MAXIMILIANVS, anno 1527. die 1. Augusti Viennæ in hanc lucem editus, princeps æquitate animi, prudentia & iustitia insignis, immò (celeberrimi nostri temporis scriptoris iudicio) *in tantum laudandus, in quantum intelligi pietas & sapientia Christiana possunt.* Nam licet in Hispania fuerit educatus, ibidemque Regii aliquandiu legati seu vicarii munere functus sit, nunquam tamen violentis regni istius artibus erga subditos à religione sua dissentientes uti voluit; sed eos potius summa moderatione tulit, adeoque tam à consobrinigenisq; sui, Philippi II. Hisp. R. implacabili adversus protestantes Belgas odio, quàm à funesto alterius generis sui, Caroli IX. Gall. R. (eo ipso anno 1572. quo nummus noster signatus est, crudelissimas Lutetiæ nuptias parantis) animo abhorruit.

Vxorem habuit *Mariam*, Caroli V. Imperatoris filiam, an. 1548. Vallisoleti in Hispania ductam, quæ ipsi 15. liberos, novem scilicet mares, & sex feminas

minas peperit; eò sanè præ multis aliis sui sexus principibus felix, quod Imperatoris gnata, uxor & proneptis, duorum Imperatorum mater, totidemque Regum locus; Regis autem neptis & soror fuerit.

Sed & ipse *Maximilianus* noster non minori felicitate usus est. *Bohemia* enim regnum vivo adhuc patre Ferdinando an. 1562. obtinuit, ac paullò post *Francofurti Rex Romanorum* fuit renunciatus; sequenti autem an. 1563. corona *Hungarica* ipsi Pofonii est imposita, & tandem an. 1564. omnibus hisce honorum titulis *Imperatoria* dignitas accessit. Hinc meritò in unciali nostro *Electus Romanorum Imperator Semper Augustus* audit, nec non *Germania, Hungaria, Bohemiaeque REX* vocatur. Quo etiam spectat biceps averse partis *aquila*, scutum quadripartitum pectore gestans, cujus prima & quarta area tænias transversas *Hungaricas*, secunda autem & tertia *Bohemicum* leonem continet. Toti incumbens parmula fasciam *Austriacam* complectitur.

Similis Maximiliani nummus extat, an. 1569. cufus, in quo Imperator loco gladii, quem in hoc unciali nostro sinistra tenet, *globum*, seu pomum imperiale, læva manu gestat. De hóc solenni Imperatorum ornamento, quod *mundum* nonnulli (*le monde*) barbarè appellant, *Henricus Spelmannus* (*Aspilog. p. 38.*) ait: *Primuscum* (mundum) invenit

Benedictus Papa, & anno 1012. Henrico Imperatori Romam venienti documento dedit, ne mundo aliter imperaret, quàm ut ipse vivifica crucis vexillo dignus tueri videretur. Alii tamen ejusmodi globorum usum ad *Augustum* Imp. referunt, quibus *crucis* signum à *Constantino* M. impositum fuisse arbitrantur.



II.



MAXIMILIA. II. D. G. RO. IM. S. AV. GER. HVN. *Effigies Imperatoris armati & coronati, dextra sceptrum sinistra gladium tenentis.* BOHE. EC. REX. ARCHID. AVST. MAR. MO. 1573. *Aquila Imperialis biceps, insignia pectore gestans.*

Vncialis hic MAXIMILIANI numus sola ferè insignium dispositione à præsentis est diversus. Nam hic leo *Bohemicus* primam & quartam scuti

scuti aream perreperit, tæniis *Hungaricis* seqviorem locum occupantibus. Parmula autem toti incumbens ex tessera *Ausiriaca* & *Burgundica* bipertita est. Similes Imperatoris hujus nummi extant, in quibus anni 1573. & 1575. numerus utriusque Maximiliani lateri adscriptus est, nec non majoris aversæ partis scuti media parmula (*sur le tout*) leonem cauda bifurcata præditum comprehendit; qualis *Bohemia* tessera etiam imperiali nostro, quem hîc exhibemus, sub ipsa Maximiliani effigie impressa est.

Notandum verò circa anni 1575. (cujus modo mentio fiebat) numerum, Imperatorem nostrum eo ipso novis propè honoribus augendum fuisse. Nam, cum Henricus Valesius, Dux Andegavensis & Poloniae Rex, fratre Carolo IX. Galliae Rege mortuo in patriam reversus esset, ut regnum illud occuparet, Episcopus Gnesnensis aliique Poloniae proceres coronam *Polonicam* Maximiliano nostro obtulerunt; quam & ille acceptavit & tueri voluit. Sed reliquis regni ordinibus in electionem istam non consentientibus, prævaluit *Stephanus Bathori*, Transsylvaniæ Princeps, qui pluribus ad electionem concurrentium votis in Regem Poloniae electus, Calendisque Maji sequentis anni Cracoviae solenni more coronatus est.

III.



MAXIMILI. II. D. G. EL. RO. IM. S. AV. GER.
 HVN. BO. REX. *Effigies Imperatoris arma-
 ti & coronati &c.*

ARCHI. DVX. AVS. DVX: BVRG. MAR. MO.
 1576. *Aquila Imperialis biceps scutum
 pectore gerens, supereminente S. Maria τεννο-
 Φόρω: ad latera K. B.*

Eadem in hoc unciali nostro *Insignium* dispo-
 sitio est, qualem antea in septimo Ferdinandi
 I. nummo p. 58. observavimus. Quadri-
 partitus enim ille clypeus, cui S. Maria τεννοΦόρω,
Hungaria Patrona imminet, 1. tæniâs *Hungari-
 cas*, 2. crucem patriarchalem *eiusdem regni*, 3. ca-
 pita pardalina *Dalmatiae*, & 4. leonem *Bohemi-
 cum* (incumbente toti parmula *Austriaca*) com-
 plectitur. Fatalis autem *Maximiliano II.* Impe-
 ratori fuit annus iste 1576. quo nummus hic signa-
 tus

tus

tus est. Nam eo ipso laudatissimus ille princeps, siue curis confectus, siue longa corporis ægritudine debilitatus, quadragesimo nono ætatis anno, in comitiis Ratisbonensibus, adeoque inter Ordinum Imperii manus quasi & amplexus, die XII. Octobris optimè meritam de republica Christiana animam efflavit, diuturniori vita ex omnium bonorum voto longe dignissimus. Exanime cadauer Pragam perlatum, ibidemque in templo S. Iohannis fuit conditum.

RVDOLPHVS II.

I.



RVDOLPHVS. II. D. G. RO. IM. S. A. GE. HV. BO.
 REX. *Imperator stans, armatus & corona-
 tus, dextra sceptrum, sinistra pomum imperia-
 le tenens; ad utrumque latus insignia.*

L

ARCHI-

ARCHIDVX. AVSTRI. DVX. BVR. MA. MO.

1589. *Aquila imperialis biceps scutum pecto-
re gerens torque Aurei velleris circumdatum.*

Maximiliano Imperatori successit natu major
filius RVDOLPHVS, non immeritò II.
dictus, cùm idem nomen alius ante illum Im-
perator gesserit, *Rudolphus* scilicet *Habsburgicus*,
immortale illud Austriacæ gentis decus, qui Impe-
ratoriam dignitatem familiæ suæ primus intulit.
Is an. 1552. mense Julio Viennæ natus egregia bre-
vi documenta dedit, se unà cum nomine excel-
lentissimarum quoque virtutum augustissimi illius
primi Rudolphi heredem futurum. Hinc adole-
scens cum Ernesto fratre in Hispaniam missus est,
eò fortè consilio, ut si Philippus Rex, avunculus
eorum, sine prole decederet, tam perspecta utri-
usque indoles, quam comparata linguæ morum-
que Hispanorum notitia, faciliorem ipsis ad suc-
cessionem viam sterneret. Sed inde redux Ru-
dolphus noster an. 1572. Septembri mense REX
HVngariæ declaratus, solennique pompa Pofonii
coronatus est. Vnde etiam in hoc, quem exhibe-
mus, nummo insignia *Hungarica* sinistro ejus la-
teri sunt addita. Triennio autem post, anno scili-
cet 1575. BOhemia Regnum obtinuit, quod dextro
ejus lateri adhærentia insignia demonstrant; simul-
que eodem anno ROManorum Rex Francofurti
ele-

electus supremum tandem ROMani Imperii fastigium parente Maximiliano mortuo occupavit.

Per integros 36. annos hanc dignitatem Rudolphus cum summa iustitiæ, magnanimitatis, sapientiæ, & incredibili præcipuè erga literas atque literatos munificentia laude tenuit, varia cum Turcis bella ancipite Marte gesit, Bohemis, Silesiis & Moravis *litteras* quas vocant *Majestaticas*, liberum ipsis Evangelicæ religionis exercitium concedentes, impertivit; & quæ sunt facta Imperatoris hujus alia.

Regiminis autem curas & literarum studia, imprimis Astronomiæ & Alchymia delicias, Rudolphus noster conjugio prætulit, adeoque (ex Austriacis Imperatoribus unus & solus) vitam egit *cælibem*. Sed interim tamen non ab omni prorsus *τρυφωγυα* abhorruit, cum (V. Cl. *Jacobo Wilhelmo Imhofio* Not. Proc. Imp. lib. 1. c. 4. ex *Bernhardi Justiniani* Hist. di Spagna lib. 3. p. 446, teste) quinque liberos naturales habuerit; nempe 1. *Julium Cæsarem ab Austria*, Crumoviæ in Bohemia à genitore præfectum; 2. *Matthiam ab Austria*, Marchionem S. Rom. Imperii, Magnatem Hispaniæ, Cubicularium & Colonellum Cæsareum; 3. *Carolus ab Austria*; 4. *Charlottam ab Austria*, Francisco Thomæ ab Oyselay, Comiti de Cantecroix, desponsatam; & 5. *Annam Dorothe-*

am ab Austria, monialibus discalceatis Madriti aggregatam.

His præmissis, jam facile erit, uncialis nostri inscriptiones, ab iis, quas aliquoties lustravimus, haut diversas, intelligere. Nec insignia, quæ aversæ partis Imperialis aquila pectore gerit, nobis ignota esse possunt, cum itidem plus vice simplici observaverimus, bipertitum ejusmodi scutum hinc fasciam *Austriacam*, illinc verò baltheos *Burgundicos* exhibere, ad designandum celebrem Imperatorum istorum, ex gente Austriacæ-Burgundicæ originem.

II.



RVDOLPH. II. D. G. R. IMP. S. A. G. H. B.
 REX. *Effigies Imperatoris capite nudo: sub axilla leo gradiens.*

ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX. BVR. MA.
 MO.

MO. 1591. *Aquila Imperialis, dextro pede gladium, sinistro sceptrum, pectore verò globum Imperialem gestans.*

Cum Pragæ (quæ notissima *Bohemiæ* metropolis est) RVDOLPHVS II. Imp. plerumque commoratus fuerit, (quò & Tychonem Brahe celeberrimum Daniæ Astronomum, evocavit, qui an. 1601. ibidem obiit) præsentem dubio procul in hoc regno uncialem cudi jusfit, cujus indicium Leo *Bohemicus* est, sub axilla Imperatoris conspicuus.

Aversæ autem partis *aquila* præ ceteris notari meretur, cum singulari profus modo omnia *S. R. Imperii*, quæ vocantur, *insignia* exhibeat. Nam binis hujus volucris capitibus *Corona* clausa Imperialis imminet, cujus primum usum vulgò Carolo V. Imperatori tribui, supra p. 39. observavimus. At figura ista multò foret antiquior, si constaret, coronam illam, quam Henricus II. Imp. fundato Episcopatu Bambergensi insignibus ejus concessisse dicitur, eandem planè formam olim habuisse, qua hodie exprimi solet. Deinde aquila hujus nummi dextro pedi *gladium* adjunctum gerit, antiquum illud temporalis jurisdictionis symbolum, quo dudum Reges & principes, in supremæ potestatis signum, manus armasse novimus. De Henrico Imp. *Edmundus Dintherus* (Histor. Belgic.

lib. 2. c. 25.) *Sumptis igitur his signis, lancea & armillis aureis, cum chlamide, & veterum gladio Regum, ac diademate, ite ad Henricum &c.* porrò aquila nostra sinistro ungue *sceptrum* tenet, quo de non minus constat, illud etiam pridem inter ornamenta vel insignia regum Iueisse numerari; cùm jam apud *Homerum* *σὴνπῆλχοι* Græcorum Duces occurrant, & Agamemnon ipsius plus simplici vice ut *σὴνπῆλρον ἔχων* describatur. Ultimo denique loco in ipso aquilæ nummarie pectore *globus*, sive *pomum imperiale* apparet, de quo p. 77. diximus; Huic autem scutulum, fasciam *Austriacam* præferens, impressum est.

Præter hæc S. R. I. insignia, in his Rudolphi Imperatoris nummis uncialibus, sub ipsa aquilæ bicipitis cauda, in peripheria inscriptionis aversi lateris, aliæ nonnullæ adhuc figuræ, circulis inclusæ, extant; ut modo *luna, cui stella imminet*, modo *ignoti animalis victus*, modo *crus aquilinum, &c.* Sed ista, cum nos fugiant, certarum sive urbium seu personarum scutaria ænigmata, alium ex Bohemia vel vicinis regionibus Oedipum requirunt.

III.



RVDOL. II. D. G. ROM. IMP. S. AVG. GER.
 H. B. R. ARCH. AV. *Effigies Imperatoris ca-
 pite nudo: à tergo insignia, à fronte S. Maria.*
 DVX. BVR. MARCH. MORAV. 1598. *Aqui-
 la Imperialis, coronata, cum gladio, sceptro &
 globo. Infra: NAGI. BANIA.*

Imperialis hic ab antecedenti, quem descripsimus,
 RVDOLphi II. nummo parum differt. A fron-
 te Cæsaris tamen *S. Maria* $\tau\epsilon\nu\nu\phi\omicron\upsilon\gamma$ & crescen-
 ti lunæ insidet, quam tutelarem *Hungariae* divam
 seu patronam jam aliquoties contemplati sumus.
 Præterea à tergo Imperatoris *insignia* quadriparti-
 ta occurrunt, quorum prima area *tæniâs Hungari-
 cas*, secunda crucem patriarchalem *eiusdem regni*,
 tertia pardalina capita *Dalmatiæ*, & quarta *Bo-
 hemicum* leonem continet, incumbente toti par-
 mula

mula *Austriaca*. Qua de insignium dispositione jam alibi, p. scilicet 58. egimus.

Sed & aversæ partis uncialis nostri à præcedenti quædam est differentia. Nam sub Imperiali aquila, in ipsa inscriptionis peripheria, legitur: NAGI. BANIA. sive, ut alii hujusmodi nummi habent: NAGI. BANI: quæ voces nihil aliud, quam certum aliquem *Hungariæ* locum, officinis monetaribus inclytum, ubi aurea argenteave ejus regni numismata signantur, indicant. Appellatur is scilicet *Nagi Bania*, vel etiam *Kapnick Bania*, (seu *dominarum rivulus*) item *Nova civitas, Neustadt* in Transylvaniae finibus, ad fluviorum Lappessi & Samosii confluentem, ubi celeberrimæ metalli fodinæ sunt, ex quibus aurum & argentum, nummis flandis feriundis, extrahitur. Quemadmodum autem hîc integrum istius loci nomen expressum est, ità alibi solis tantummodo initialibus literis N. B. notari solet, quas utrique imperialis aquilæ lateri, in plurimis tam Rudolphi II. quàm aliorum Imperatorum nummis, (pari modo ac in aliis K. B.) adscriptas videas.

IV.



RVDOLPHVS: II: D: G: ROM: IMP: SEM:
AVG: GER: HVNG: BOH: REX. *Caput Im-*
peratoris laureatum: sub axilla numerus an-
ni 1603.

NEC NON ARCHIDVCES AVS: DVC: BVR:
COMITES: TIROL. *Insignia pileo Archidu-*
caliornata, & torque Aurei Velleris cincta.

VNcialem hunc (cujus generis plures variis se-
quentium annorum numeris notati extant)
Imperator RVDOLPHVS II. non suo tan-
tùm, sed & reliquorum *Austria Archiducum* no-
mine signari juslit, ceu ex inscriptione averse lateris
manifestum est. Fuerunt autem isti ARCHIDV-
CES AVSTRIA, qui hoc tempore vixerunt, par-
tim Rudolphi II. Imperatoris fratres, *Matthias*
scilicet (ipsius postea in imperio successor) *Maxi-*
milianus, & *Albertus*; partim verò consobrini e-

jus, Archiducis *Caroli* (qui Græcii in Styria vixit, & Ferdinando I. Imperatore satus fuit) filii, *Ferdinandus* scilicet (postea Imperator, nominis hujus II.) *Maximilianus Ernestus, Leopoldus & Carolus*: quorum omnium amplissima *insignia* pileo Archiducali tecta, & torque ordinis Aurei Velleris cincta, averfa hujus nummi parte exhibentur.

Nam scutum, ibi expressum, ter transversim, totiesque perpendiculariter secatur, accedente capite scutario bipertito, adeoque ex 14. areolis componitur. Has inter prima *tænias Hungaricas*, secunda verò leonem *Bohemicum*, ostentat. Tertia (eademque prima secundi ordinis) leonem *Legionensem*, quarta baltheos *Burgundicos*, quinta fasciam *Austriacam*, & sexta castellum *Castellanum*, exhibet. Succedit septima areola (quæ tertii ordinis prima est) & tesseram *Carinthie* complectitur; vicina octava verò aquilam refert, solenne symbolum Ducatûs *Carniolæ*; quem proceres istius provinciæ, ultimo principe eorum, Marchione Craynburgi, sine prole mortuo, Friderico Bellicoso, Austriæ Duci, tradiderunt. Sequentis nonæ areolæ *δέγμα* ob exilem figuræ typum, non satis dignosci potest. Aut enim Leonem comprehendit, adeòq; Comitatum principalem *Habsburgicum* designat; aut representat gryphum

ἄπτερον ignivomum, & ita *Styriam* notat, quam Rudolphus I. Imp. unà cum Austria filio suo Alberto concessit. Areola decima è superiori dextro angulo obliquè secta, & hinc tæniis aliquot (seu potius sinistris baltheis) exarata, illinc verò leonem gradientem exhibens, *Goritiensem* Comitatum indicat. Is peculiare suos olim ex Andechsina gente Comites habuit, qui etiam Tirolis aliquando domini fuerunt. Sed ultimo eorum Leonhardo, an. 1500. sine liberis defuncto, provincia hæc ex pacto inter Mainhardum III. & Albertum II. fratres, de mutua posterorum Tirolensium & Goritiensium successione, ad Imp. Maximilianum I. Austriacum (jam Tirolensis Comitatus dominum) devoluta est. Quæ ultimum clypei nostri ordinem inchoat, undecima areola, obliquis aliquot baltheis impleta, quibus palus erectus inducitur, Marchionatum *Burgovix* denotat. Is inter Vlmam & Augustam situs, ad Bavaros olim spectavit, deinde ex Comitibus ab A-bach, & his an. 1075. extinctis ex gente Bibereckiana, Schelcklingensi & Rockensteinia, Marchiones suos habuit, donec tandem post eorum fata ad Imperium relapsus, à Rudolpho I. Imperatore filio cognomini in comitiis Augustanis an. 1282. collatus fuerit. Sequens duodecima scuti nostri area, quam tres leones gradientes (sive pardi) perrepunt,

Ducatûs *Sueviae* symbolum est. Hunc idem Imperator filio Rudolpho in iisdem comitiis contulit, postquam Conradinus, ultimus suæ gentis *Sueviæ* Dux, Regniqve *Neapolitani* heres, an. 1269. à Carolo Andino captus & capite truncatus, provinciam istam vacuum reliquit. Decima tertia areola, tria cornua cervina complectens, Ducatum notat *Wûrtembergicum*, cuius, quomodo ad *Austriacos* pervenerit, p. 42. mentionem fecimus. Decima quarta deniq; hujus clypei area, quam baltheus obliquus dexter, utrinq; tribus coronis stipatus, dividit, *Alsatiæ* Landgraviatûs tessera est. Notabilis hæc veteris *Alemanniæ* pars à Comitibus *Habsburgicis* olim recta fuit; deinde paruit Comitibus *Egenesheimensibus* (sive *Hugenesheimensibus*) & illis an. 1238. extinctis, iterum ad *Habsburgicos*, præcipuè *Rudolphum I. Imp.* devoluta est, cui uxor *Anna Hohenbergica* omne jus matris suæ in *Alsatiæ* Landgraviatum attulit.

Hæ sunt quatuordecim scuti nostri areolæ. Sed superest parmula, honorario ejusdem loco (*au point d'honneur*) conspicua, quæ aqvilam coronatam, *Tirolensis* Comitatus *deÿma*, continet. In illo enim uncialis noster cusus est, & ideò tam *Rudolphus Imp.* quàm reliqui *Austriæ* Archiduces, præter *DVCum BVRgundia* appellationem, ceteris omnibus titulis

ne-

neglectis, se tantum COMITES TIROLIS hinc vocare voluerunt.

Dicendum tamen adhuc aliquid de *Archiducali pileo*, quo insignia nummi nostri operiuntur. Is olim coccineus saltim galerus fuit, vellere Pontico reductus; sed Imp. Fridericus I. an. 1156. huic pileo ducali, *sertum pinnitum* (ut verba diplomatis habent) seu *radios aureos* addidit. Postea eundem Henricus Rom. Rex *circulis* duobus supernè reflexis auxit, Leopoldo *Austria* Duci concedens, ut *sua regalis corona Diadema principatus sui pileo solenniter ferre posset*, ceu diplomatis an. 1228. dati verba sonant. Tandem Fridericus II. Imp. an. 1245. Friderico Bellicoso *Austriae* Duci indulgit, ut supremo pilei huius fastigio *auream crucem* imponeret. Qua de re, adcoquè variis Archiducalis istius tegumenti formis, legi meretur *Sigism. à Bircken Desterr. Ehren-*

Spiegel /l. 2. c. 3. p. 183. & ex eo *Spenerus* no-

ster, Op. Herald. part. spec. l. I.

c. 9. p. 65.



RVDOLPHVS. II. D. G. RO. IM. SE. AVG.
GER. HVN. B. REX. *Caput Imperatoris lau-*
reatum: sub axilla numerus anni 1606.

NEC NON ARCHIDVCES AV. D. B. LAND-
G. ALS. CO. FER. *Insignia pileo Archidu-*
cali tecta, & torque Aurei velleris cincta.

IN nummo hoc, quem RVDOLPHVS II. Im-
perator suo denuò & reliquorum Austriae Archi-
ducum nomine signari iussit, præter titulos à
prioribus aliquantisper diversos, alia quoq; insig-
num dispositio occurrit. Nam scutum averfæ par-
tis ter transversim, totiesque perpendiculariter se-
catur, adeò ut 16. laterculos contineat.

Hos inter primus tæniâs *Hungaricas*, secur-
dus aquilam *Tirolensem*, tertius baltheum & co-
ronas *Alsatia*, ostendit. Quintus laterculus (qui
secundi ordinis primus est) Leonem *Legionensem*
præ-

præfert, sextus baltheos *Burgundicos*, septimus fasciam *Austriacam*, & octavus Castellum, regni cognominis *Castellani* symbolum. Laterculus nonus (qui tertium ordinem inchoat) tesseram *Carinthiæ* exhibet, decimus aquilam *Carniola*, undecimus leonem *Goritia*. Decimus tertius (ultimi ordinis primus) baltheos palumque *Burgovia* complectitur, decimus quartus leones *Svevia*, decimus quintus cornua cervina *Wûrtembergica*; & decimus sextus denique binos pisces habet, *Pfirentensis*, sive *Ferretensis* Comitatus dicitur, cujus mentio fit inter titulos uncialis nostri, cum in eo Rudolphus, & reliqui Archiduces Austriae, non modò *LANDGRAVIV ALSATIA*, sed etiam *COMITES FERRETENSES* appellentur.

Comitatus hic *Ferretensis* sive *Pfirentensis*, in extrema Alsatia vel Suntgovia situs, peculiare olim Comitatus habuit, qui eundem beneficiario jure ab Episcopis Basileensibus tenuerunt. Horum ultimo autem Ulrico an. 1324. sine mascula prole defuncto (singulari Basileensis Episcopi indultu, nec non Pontifice consentiente) successit gener, *Albertus Austriacus*, qui alteri comitatus hujus heredi (quæ uxoris suæ Iohannæ soror erat) 8000. marcas argenti numeravit, adeoque Comitatum istum, à majoribus suis aliquando possessum (cum Theobaldus
Phy-

Phyretarum Comes, Otberti Habsburgici frater fuerit) familiæ suæ rursus intulit.

Hæc sunt præcipua nummorum uncialium Rudolphi II. genera, quæ nobis quidem hæctenus se obtulerunt. Nam licet alii Imperatoris istius nummi hujus ponderis extant, effigiem ejus partim stantem, partim verò equo insidentem exhibentes, & in averso latere vel viginti quatuor parimulis (Imperialem aquilam stipantibus) notati; Eos tamen, quia non ipsius Imperatoris auctoritate, sed potius (ut literæ V. M. in illis obviæ demonstrant) ab artifice Norimbergenfi *Ulrico Mahler*, an. 1589. CVM PRIVILEGIO CÆsaris effecti sunt, nolimus apponere.

Quod reliquum est, laudatissimus Imperator Rudolphus II. anno 1612. die 10. Januarii, ferè sexagenarius, ex hac vita excessit, fatum ejus tam leone quodam, quàm duabus aquilis (quæ in aula ipsius Pragæ nutriebantur) subita sua morte portendentibus. Defuncto Cæsari Matthias frater iustafecit, ejusdemque cadaver funere magnifico elatum in templo Arcis Pragensis terræ tradidit.

MATTHIAS.



I.



MATTHI. II. D. G. REX. HVN. ꝛc. DESIG. IN.
 REGEM. BO. *Effigies Matthiæ coronati, &*
torqve Ordinis Aurei velleris cincti.
 ARCHID. AVS. DVX. BVR. MAR. MO. CO.
 TYR. 1609. *Insignia coronata, & torqve Au-*
rei velleris circumdata.

Rudolpho II. Imperatori è vivis sublato MAT-
 THIAS frater succesfit, iisdem cum illo pa-
 rentibus, *Maximiliano II. & Maria*, na-
 tus, ac an. 1557. die 24. Febr. (ipsa S. Matthiæ Apo-
 stoli vigilia) Viennæ in hanc lucem editus. Is
 Belgio primùm adolescens præfuit, deinde contra
 Turcas rebus fortiter gestis, vivo adhuc fratre Ru-
 dolpho, *Hungaria Bohemiaqve* regna consequu-
 tus est, & tandem illo mortuo *Romani* quoqve

N

Im-

Imperii habenas capesivit, quas per septennium cum eximia prudentiæ laude tenuit.

At non dissimulandum est, quæ ratione Matthias noster ad illa quæ diximus *Hungariæ Bohemique* regna pervenerit. Inter hunc enim & Rudolphum fratrem in probis quorundam male feriatorum hominum consiliis oborta dissensio, variis primum suspicionibus exasperatam Matthiæ mentem implevit, deinde verò effecit, ut is ad certio rem in avitis regnis successione armis sibi viam sternere fuerit conatus. Collecto itaque exercitu in *Bohemiæ* movit, proceresque partim minis, partim verò promissis sollicitavit, ut sibi regnum traderent. Immò idem quoque in *Hungariæ* tentavit, & ut animi hominum solent esse inconstantes atque novitatis avidi, haud paucos utrobique reperit, qui ipsi præ Rudolpho fratre, quem Regem hæctenus habuerant, subesse voluerunt. Sed tandem Principum quorundam interventu sopita fuit hæc contentio, maluitque Imp. Rudolphus utroque regno cedere, quam sese subditosque pluribus exponere molestiis. Hinc anno 1608. *Hungarica* corona Matthiæ nostro à proceribus regni in aperto campo fuit tradita, idemque simul ordinum *Bohemie* consensu *designati Bohemie* Regis titulum obtinuit.


Utramque appellationem præsens numus continet,
in

in quo MATTHIAS, præter consuetos ARCHIDUCIS AVSTRIÆ, DVCEIS BVRGUNDIÆ, MARCHIONIS MORAVIÆ, & COMITIS TYROLIS titulos, non modo REX HUNGARIÆ vocatur (ejusdemque respectu merito *Matthias II* audit, cum in hoc regno ante eum alius *Matthias*, *Corvinus* scilicet, *Iohannis Hunniadis* filius, ab anno 1457. ad 1490. imperaverit); sed etiam DESIGNATUS dicitur IN REGEM BOHEMIÆ, cujus regni plenariam possessionem an. 1611. adiit.

Vt Rex Hungariæ autem in unciali nostro partim *S. Mariæ* (tutelaræ Pannoniæ divæ) imaginem sibi imminentem habet; partim verò peculiare capitis ornamentum gerit, coronam scilicet *Hungaricam*, pretiosissimis gemmis distinctam, ac margaritis inde dependentibus conspicuam. Hoc diadema Hungari nonnulli cælo descendisse perhibent, & ut Ancile suum & Palladium venerantur; Alii tamen ajunt, Stephanum Regem illud anno 1000. à Sylvestro II. Papa Romano obtinuisse, unà cum Patriarchali illa cruce, quæ insignia regni Hungarici constituit. Fusè coronam istam ex *Petri de Reva* Commentario de S. Cor. Hung. describit V. C. *Io. Chr. Beckmanus* Synt. Notit. dignit. illustr. diss. 4. c. 3. §. 7. p. 473. exactamque illius delineationem affert *Sigismundus à Bircken Dester. Ehrensp.* l. 5. c. 17. p. 726. ubi simul hunc in modum

carmine ludit:

Non malè de cælo missam hanc dixere corona m;
 Munus divinæ est cuncta corona manûs. &c.
 Aversi lateris *insignia*, eâdem coronâ tecta, & tor-
 que Aurei Velleris circumdata, in quatuor æqua-
 les partes distributa sunt. Prior quadrans, *δέγμα-
 τα Hungaria* complectens, ex fasciis hujus re-
 gni, ejusdemque cruce patriarchali bipartitus est.
 Secundus exhibet leonem *Bohemicum*; Tertius
 tria capita pardalina, *Dalmatia* tesseram; & quar-
 tus denique aquilam tessellatam habet, Marchiona-
 tûs *Moravia* (ad Bohemiæ regnum pertinentis)
 symbolum. Toti autem incumbit parmula *Austria-
 co-Burgundica*.



MATTHIAS II. D. G. HVNG. ET. BOHE. REX.
Effigies Matthiæ ornata & coronata.

ARCH.

ARCH. AVST. DVX. BVRG. MAR. MO. CO.

TI. *Insignia coronata, & torque Aurei Velleris cincta.* 1612.

Quo pacto Matthias Archidux avita HVNGaria ET BOHEmia regna obtinuerit, ad præcedentem nummum observavimus. Sed iis, quæ de reconciliatione hujus principis cum Rudolpho fratre nobis dicta sunt, addi meretur Comitibus Galeatii Gvaldi Priorati relatio, (nell' Historia di Ferdinando terzo Imperatore, lib. 1. p. 15.) his verbis concepta: *Idue fratelli-si riaggiustarono insieme, poiche havendo Matthias a sodisfattione del fratello Imperatore con publica scrittura richiesto perdono di quanto contro di lui havesse tentato & operato, l' Imperatore con atto heroico, ricevuta e letta ch' hebbe la sudetta scrittura, la gettò al fuoco, dichiarandosi, che non voleva mai, che restasse memoria ne' posteri, che un prencipe di Casa d' Austria s' havesse inchinato a quella sommissione.* i. e. Redierunt in gratiam bini isti fratres & Matthias injuriæ fratri illatæ litaturus, quicquid contra eum machinatus erat, scripto publico deprecatus est. Sed Imperator acceptas atque lectas illas literas heroico planè actu Vulcano consecravit, negans cupere se, ullam posteris superesse memoriam, quod princeps Austriacus sese adeò demiserit.

Iam quod ad uncialem nostrum attinet, eundem fortè in *Bohemia* signatum esse nobis fidem faceret *leo* iste, cauda bifurcata præditus, qui sub effigie *Matthiæ* cernitur; nam is notissimum est hujus regni symbolum. Sed obstat partim *Matthiæ II. (Secundi)* appellatio, quam sibi princeps nosser, ut Rex *Bohemiæ*, tribuere non potuit, cum ibi saltim *unicus Matthias* imperaverit. Partim verò aliud quoque arguunt averfi lateris *insignia*, quæ ita sunt disposita, ut tessera *Hungariæ* potiozem locum, primum scilicet & ultimum quadrantem, occupet; leone *Bohemico* ad secundum tertiumq; solùm quadrantem rejecto; quorum medio incumbit parmula *Austriaco-Burgundica*.

Sed *anni* quoque 1612. numerus hõc nummo signatus observari meretur. Nam eo ipso *Matthias* noster ad sublimiora, quàm quæ hic occurrunt, honorum culmina ascendit, cum post excessum *Rudolphi II. fratris*, qui sub initium istius anni contigit, unanimi procerum consensu ad

Imperatoriam dignitatem erectus fuerit.

III.



MATTHIAS. D:G: R:I: S: AVG:G: HVN: BO:
 REX. *Effigies Imperatoris, capite laureato.*
 ARCHID: AVS: DVX. BVR: CO: TYR. &c. 1616.
*Aquila Imperialis duplex, pectore insignia
 gerens.*

EN igitur Matthiam nostrum novis, iisdemque
 supremis orbe Christiano honoribus auctum;
 cum præter HVNgaria & BOhemiaque REGIS
 titulum, ceterasque ARCHIDucis AVSstria, DV-
 cis BVRgundia, COMitisque TYRolis appella-
 tiones, Romanorum Imperatoris Semper AVGu-
 sti, nec non Germania Regis axiomate in hõc
 nummo gaudeat. Succesit autem in muneribus
 istis (prout diximus) Rudolpho II. fratri an. 1612.
 mense Junio, ac paullò post Francofurti fuit coro-
 natus. Quam in rem extat memorialis nummus
 argen-

argenteus, (isque uncialis quidem, sed, quoniam CVM PRIVILEGIO C. M. adeoque privata potius, quam ipsius Imperatoris auctoritate, cufus est, nobis non afferendus) cujus uno latere combinatae (*accollées*) Augusti Augustæque effigies exhibentur, his verbis circumscriptæ: MATTH. ROM. IMP. CAES. ET. ANNA. AVSTR. AVG. Altero autem latere extat: MATTH. IMP. CÆS. P. P. AVG. E-LIGITVR EIDIB. IVNI. CORONATVR. IX. KAL. QVINCT. BIDVO POST ANNA AVGVSTA CORONATA AN.º SAL. cIo Io CXII. FRANCOF.

Cæterum prima nobis vice hinc occurrit *Semper AVGusti* titulus, cum Imperatores præcedentes, quorum nummos hæcenus lustravimus, tantummodo simpliciter *Augustos* se se dixerint. Notandum igitur est, Occidentis Imperii rectores hoc prædicatum ab Imperatoribus Orientis mutuatos esse, quibus jam multis retrò sæculis solenne fuit, ἀεὶ Σεβαστων, vel ἀεὶ Αὐγύστων, imò etiam αἰο-νίων Αὐγύστων titulum admittere. Qua de re omninò legi meretur *I. C. Becman*. Syntagm. dignit. Illustr. diff. 2. c. 1. §. 6. p. 105. cui etiam Imperatores nostri hinc *Semper Augusti* titulo ab *Ottone I.* usi videntur. Licet *Carolus V.* aliquando æquivalentem adhibuerit, dicendo se *omni tempore amplificatorcm Imperii*; quo sensu hodie

hodie quoque appellatio ista Germanico idiomate in diplomatibus solet exprimi, cum Imperatores vulgò *zu allen Zeiten Mehrer des Reichs* (hoc est, qui proferendis Imperii commodis & juribus continuo incumbant) appellantur.

Quod reliquum est, biceps aversæ partis aquila, inter bina capita sua (quibus *corona* clausa imminet) Imperiale *pomum* sive globum gerens, & dextro pede *ensem*, sinistro verò *sceptrum* tenens, pectore *insignia* præfert, torque Aurei Velleris cincta, & ex plurimis laterculis composita.

Nam bipertitum caput scutarium hinc fascias *Hungaricas*, illinc verò leonem *Bohemicum* ostendit. Proxima laterculorum series quatuor areolis absolvitur, quarum prima *Castellanum dèyua* præfert, secunda *Legionense*, tertia *Arragonicum*, & quarta *Siculum*. Qui tertium ordinem inchoat leo, *Habsburgicus* est; Huic proximè adhæret symbolum *Carinthiæ*; sequitur *tessera Tirolensis*, & huic vicina *Wûrtembergica*. Imo denique scuti loco primas tenet parmula *Austria superioris*, sive *Principatus supra Anasum*, cui è regione opponitur symbolum *Carniole*; ipsi autem clypei cuspidi areola triquetra inserta est, quæ nî fallor unam ex quinque istis alaudis continet, quas olim *Austria veteris* insignia constituisse, alibi videbimus.

7 Urpach

Supereſt minor illa, quæ aquilæ Imperiali ſubſtat, parmula, eaque bipertita, & pileo Archiducali tecta. Sed iſta nobis toties jam ſeſe obtulit, ut explicatione ulteriori non indigeat, cum ſatis conſtet, faciæ *Auſtriacæ* hîc junctos eſſe baltheos *Burgundicos*, ad denotandam gentem, ex quâ Matthias Imperator prodiit.

Quid autem ſibi velit figura, ſub imagine Matthiæ in ipſa inſcriptionis peripheria extans, *cantherius* ſcilicet (*chevron*) circulo inſcriptus, nos ignorare lubentes proſitemur. In alio Imperatoris hujus unciali, an. 1619. cuſo (qui noſtro aliàs planè ſimilis eſt) loco cantherii iſtius *arborem* videas. Sed hæc iterum talia nobis ſunt ænigmata, ac antea in nummis Rudolphi II, Imp. p. 86. obſervavimus.

Similis nummus Matthiæ extat, ſed illo nondum Imperatore cuſus, annique 1611. numerum præferens, in quo princeps noſter laureæ loco *coronam* gerit, ac *HVNGARIA ET BOHEMIA REX* vocatur. A verſæ autem parti *inſignia* coronata, & torque Aurei Velleris cincta (absque aquila) imprimuntur, quæ ex iisdem laterculis conſtant, quos deſcripſimus, niſi quod honoratori eorum loco (*au point d'honneur*) parmula *Auſtriaco-Burgundica* appareat.

IV.



MATTHIAS. D. G. ROM. IM. S. AVG. GER.
HVN. BOH. REX. *Effigies Imperatoris, ca-
pite laureato.*

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR. MAR. MOR.
CO. TYR. 1617. *Aquila Imperialis coronata, gla-
dioque & sceptro prædita, scutum coronatum pe-
ctore gerens, torque aurei velleris circumdatum.*


NEquè habitus, neque tituli *Matthiæ* Impe-
ratoris, hõc unciali expressi, à præcedenti dif-
ferunt. Denuò enim augustus ille senex hîc
laureato capite apparet, & undulatum, sive nubi-
um in modum efformatum collare gerit, pectore
cæteroquin armato, & torque Aurei Velleris circum-
dato. Sed & tituli planè iidem sunt, nisi quod ef-
figie *S. Mariæ* (quæ *Hungariæ* patrona est) ejus-
demque regni parmulâ, sint distincti, & illustre insu-

per *MARChionis MORavia* cognomen accesserit.

Insignia tamen averſæ partis, quæ aquila Imperialis pectore geſtat, non congruunt cum præcedentibus. Nam ex tæniis *Hungaricis* & Leone *Bohemico* (bis repetitis) quadripartita ſunt, incumbente medio loco parmula *Auſtriaco-Burgundica*. Vtrique etiam enſiferæ ſceptrigoræque volucris lateri binæ illæ literæ K. B. adſcriptæ ſunt, quas p. 59. certum Hungariæ locum, fodinis metallicis ac officinis monetilibus nobilem, denotare diximus.

Verum non eſt prætereundus *anni* 1617. numerus, quo uncialis noſter cuſus eſt. Nam eo ipſo Matthias Imperator, qui ſterili hæcenus *Anna* Auſtriacæ, conſobrinæ ſuæ, conjugio uſus erat, de prole adeòq; ſucceſſore ex ſe naſcituſo deſperans, Alberti fratris (Belgio imperantis) conſenſu, Regnum *Bohemie* ſolemniter in *Ferdinandum* Auſtriacum, Conſobrinum ſuum, tranſtulit. Sed iſta res fuit inopinata magnorum motuum occaſio. Bohemi enim proteſtantes (quos à Rudolpho II. literas majeſtaticas, liberum Evangelicæ religionis exercitium ipſis concedentes, impetraſſe ſupra memoravimus) cùm à Pontificiis iniqua templorum dirutorum injuria affecti, non modò Imperatorem Matthiam ſibi minùs faventem experirentur, ſed etiam à novo Rege, a vitis ſacris impenſiùs addicto, graviora adhuc metuerent, ſpecioſo tuendæ libertatis

tatis prætextu usi, ab utroque defecerunt. Immò eò processerunt insolentiæ, ut ministros Regios summæque apud ipsos auctoritatis viros, Gulielmum Slavatam, Iaroslauum à Martinitz, & Philip-pum Fabricium, furenter correptos è fenestris ar-cis Pragensis, in substratam magnæ altitudinis hu-mum, projecerint. Factum id an. 1618. die 13. Maji, & licentiosioris audaciæ præludium quasi fuit, cùm Bohemi mox alium planè Regem elegerint, ceu ad sequentem nummum observabimus.



MATTHIAS D. G. ROM. IMP. SEM. A. G. H.
BO. REX. *Effigies Imperatoris, capite nudo.*
ARCHID. AVSTRI. DVX. BVRG. MAR. MOR.
1619. *Aquila Imperialis, scñium pectore
gerens.*

QUæ ad ipsam numismatis hujus formam, sive
typum pertinent, abundè nobis dicta sunt.

Adeòque parmula *Austriaco-Burgundica*, pectori aquilæ Imperialis impressa, nos non habebit amplius sollicitos. Duo tamen adhuc circa nummum hunc notanda veniunt. Quorum primum est quod *anni* 1619. numerus, hòc unciali signatus, *Matthia* Imperatori fatalis fuerit. Is enim die 20. Martii hujus anni Viennæ exspiravit, nullis ex *Anna* conjugè, Ferdinandi Archiducis Austriæ filia, relictis liberis, qui vel in hereditariis ipsius provinciis, vel etiam in Imperio Romano-Germanico succederent. Vnde factum, quod suprema isthæc dignitas ad aliam gentis Austriacæ stirpem devoluta fuerit.

Alterum, quod ad præsentem nummum notari meretur, est infausta rerum *Bohemicarum* immutatio. Nam, licet Imp. Matthias in hòc unciali nostro adhuc regnum Bohemiæ sibi asserat, ibidemque forsàn nummus iste cusus sit (ceu *Leo*, cauda bifurcata præditus, & sub effigie Imperatoris conspicuus arguere videtur); Bohemi tamen ipso hoc anno 1619. rejecto Ferdinando II. alium sibi Regem adsciverunt, *Fridericum* scilicet Palatinum Electorem, Jacobi M. Britannia R. generum. Et, quamvis ille brevi post, anno videlicet 1620. ad Pragam Bohemiæ metropolin infelici prælio victus fugatusque fuerit, turbæ tamen istæ funestam *tricennalis belli* materiam dederunt, quò omnis longè latè-
que miserè afflictæ fuit Germania.

FER-

(III.)

FERDINANDVS II.



FERDINAND. D. G. ARCHIDVX. AVSTRIAE.

Effigies armata, & pileo Archiducali tecta, dextra sceptrum, sinistra gladium tenens.

ET. CARINTHIAE. ZC. 1616. *Insignia, pileo archiducali tecta, & torque Aurei Velleris cincta.*

Matthia Imperatore sine spe prolis decessuro, variis procerum consiliis deliberatum fuit, quis ipsi in Romano-Germanico Imperio successor dandus esset, cui tot provinciarum regimen committeretur. Voluerunt quidem nonnulli *Maximilianum* Bavariae Ducem; sed alii *Mauritium* Nassovium postulârunt: Immò fuère, quibus *Carolus Emanuel* Dux Sabaudiae placuit, nec non *Christianus IV.* Daniae Rex, & principes id genus

nus alii. Verùm omnibus istis Imperii procis tandem palmam præripuit FERDINANDVS *Austriacus*, Matthiæ consobrinus, qui inter Imperatores respectu *prioris* illius *Ferdinandi*, quem Caroli V. fratrem & successorem fuisse novimus, *Ferdinandus* meritò *secundus* audiit.

Susceptus fuit is in lucem Græcii (quod Stiria oppidum est) an. 1578. d. 9. Julii Patre *Carolo* Archiduce Austriae, & Imperatoris Ferdinandi I. filio natu minimo; matre verò *Maria*, Alberti V. Bavariae Ducis filia. Quadragenarius ferè à Matthia patruele regnum *Bohemiae* an. 1617. ac sequenti *Hungaricum*, obtinuit, eidemque tandem an. 1619. mortuo in *Imperio* etiam Romano-Germanico successit.

Vxorem Ferdinandus bis duxit. Prima fuit *Maria Anna*, filia Wilhelmi V. Bavariae Ducis, quæ ipsi an. 1600. in manum venit, & postquam sexies mater facta esset, eo ipso, quo nummus noster signatus est, anno 1616. ad plures abiit. Hinc altera Ferdinandi uxor fuit *Eleonora* Gonzaga, Vincentii Mantuae Ducis filia, an. 1622. ducta, & 1655. improlis mortua.

Iam quod ad uncialem nostrum propiùs attinet, hunc Ferdinandus saltim ut ARCHIDVX AVSTRIÆ, adeoque ante susceptos amplissimos istos Regios ac Imperatorios, quos diximus, honorum titulos, signari iussit, quapropter etiam hinc *Archiducali*

cali tantum habitu conspiciendus est. At interim tamen, quod notandum, non *Austria* modò *Archiducem* se appellat, sed etiam CARINTHIAE, de quo Archiducatu supra p. 60. sq. egimus. Imò nummum hunc in ipsa quoque Carinthia cūsum esse, ex dispositione *insignium* averſæ partis colligas; ubi notum illud *Carinthia* symbolum (quod clypeus bipertitus est, cujus priorem aream tres leones gradientes implent, posteriorem verò fascia transversa dividit) potiore scuti locum, medium scilicet, occupat. Inter reliquas septem, quæ circumstant, areolas fasciæ *Hungarica* primas tenent, habentque sibi ex adverso oppositum leonem *Bohemicum*; sequitur tessera *Austriaca*, mediante parmula *Carinthia* baltheis *Burgundicis* juncta. Inde gryphus ἀπτερό seu animal ignivomum *Stiria* comparet, cui aquila *Tyrolensis* opponitur; & tandem ultimo infimoque loco leo *Goritiensis* cum suis, quibus innititur, baltheis expressus est.

II.



FERDINANDVS II. D. G. RO. IMP. S. A. G.
 HVN. ET. BO. REX. 1620. *Effigies Imperatoris coronata.*

ARCHI. AVSTRIÆ. DVX. BVRGVNDIÆ.
 STYRIÆ. EC. *Aquila Imperialis, pectore insignia gestans.*

Archiducem Ferdinandum, Romani Imperii, Regnique Hungariæ & Bohemiæ candidatum, vidimus, Hic verò idem omnibus istis honorum titulis plenè exornatus nobis sistitur, adeòq; tam Romanorum Imperator Semper Augustus, quàm Germaniæ HVNGARIA ET BOHEMIA REX audit, quibus augustissimis Christiani orbis officiis partim vivò adhuc Imp. Matthiâ confobrinò, partim eò mortuò fuit admotus.

Non differt autem *aversa* uncialis hujus pars
 ab

ab illa, quam nummus III. Matthiæ Imperatoris p. 103. conspicuus, exhibuit; nisi quod loco parmulae *Austriaco-Burgundica*, quæ ibi Imperiali aquilæ ensiferæ sceptrigeræque substat, hic *Styriæ* tessera, ducali pileo tecta, sese nobis obferat. Cujus etiam provinciæ nomen ceteris Ferdinandi titulis in hõc nummo additum videmus.

Similis ferè Imperialis extat, anno 1621. signatus; nec non alii, annum 1624. & 1625. præferentes, cõ solò ab hõc nostro diversi, quòd Ferdinandus ibi *laureato* capite expressus sit, & loco *Styriæ Ducis Comes TYROLIS* appelletur, unde etiam aquilæ imperiali aversæ partis non *Styriæ* scutum substat, sed parmula *Austriaco-Burgundica*. Immò alium adhuc habemus uncialem, an. 1620. cufum, præsentì ferè similem, nisi quod Ferdinandus coronatus armatusque simul *ARCHIDUX AVSTRIÆ ET CARINTHIÆ* vocetur, ideoque sub expansâ aversæ partis aquilâ scutariâ *Carinthiæ* symbolum, pileo Archiducali operatum, compareat.

lesiam primùm serecepit, deinde Marchiam petiit Brandenburgicam, & tandem apud Batavos fortunæ suæ naufragæ portum quæsiuit. Ac licet victricibus Imperatoris sociorumque armis tam Ernestus Mansfeldicus, quàm Christianus Brunsvicensis, aliique Palatinarum partium principes, sese opposuerint; non potuerunt tamen avertere, quin Fredericus, uti Bohemiæ regno pulsus, ita quoque avitis ditionibus exutus, immò etiam proscripius, & Electorali dignitate (in Maximilianum Bavarum collata) mulctatus fuerit.

Hinc omnis paullatim ad avitum dominum rediit *Bohemia*, cujus proceres statusque, rebellionis atque perduellionis rei, gravissimas Ferdinando pœnas dederunt, cum partim proscripti, partim verò capite plexi fuerint. Pari modo ad obsequium reductus fuit *Moravia* Marchionatus, à Bucquoyo supremo belli duce armis coërcitus. *Silesiam* verò & *Lusatiam* Elector Saxonix Ioh. Georgius in ordinem redegit; cui etiam altera harum provinciarum cesit, utraque scilicet Lusatia, quam ipsi Ferdinandus tam ob navatam fideliter & strenuè in his turbis operam, quàm aliis de causis, contulit.

De *hereditariis* exauctorati Bohemiæ Regis provinciis hic non dicendi locus est. Verbo saltem indicasse sufficit, *Palatinatum superiorem* à

Maximiliano Bavaro occupatum, eidemque novo Electori ac ipsius posteris per instrumentum pacis Osnabrugensis an. 1648. confirmatum fuisse. *Inferiorem* verò *Palatinatum* unâ cum Bavaris Hispani expugnârunt milites, Heidelbergam Electoralem sedem miserè vastârunt, bibliothecam toto orbe celeberrimam barbarè direptam in Italiam abstulerunt, & summâ ubique inclementiâ grassati sunt. Quem tamen amoenissimum pariter ac fertilissimum terrarum tractum infausti Regis hujus filio *Carolo Ludovico*, unâ cum octavo Electoratu, pacis Westphalicæ pactis restitutum fuisse novimus.

IV.



FERDINANDVS. II. D. G. RO. IM. S. A. G. H.

B. REX. *Effigies Imperatoris laureata.*

ARCHID. AVS. DVX. BVR. COM. TYR. C.

1624. *Quinque parmula insignibus notata, interspersis aliquot ordinis Aurei Vellerisignariis.*

Aver-

A Verfa hujus uncialis pars, quoad singularem & non ubivis obviam insignium dispositionem, à duobus illis *Maximiliani I.* nummis mutuata esse videtur, quos p. 11. & 18. explicavimus. Quemadmodum enim ibi *quinque parmulas* offendimus, ità collocatas, ut mediam eamque præcipuam quatuor aliæ circumstent; Sic etiam hîc comparatum esse videmus, licet ipsa parmularum istarum *insignia* paullo aliter effecta sint.

Nam pari quidem modo, ac p. 18. liqvet, medio hujus nummi loco extat biceps *S. R. Imperii* aquila, itemque augustæ volucris istius dextrum latus clypeus tenis *Hungaricis* distinctus occupat; At à sinistris (loco tesseræ *Austriacæ*, quam unciales *Maximiliani I.* exhibent) leo salit *Bohemicus*, bifurcata sua cauda notabilis. Sic, licet prima inter inferiores binas imperialis hujus parmulas baltheositerum *Burgundicos* comprehendat, altera tamen neutiquam leonem *Habsburgicum* complectitur, sed potius fasciam *Austriacam* refert; ut adeò insignia hæc omnibus istis honorum titulis, qui in præfenti nummo nostro *Ferdinando II.* tribuuntur, (sola tantum *COMitis TYROLis* appellatione exceptâ) probè congruant, dum scilicet non modo *ROManorum Imperator Semper Augustus, Germania, Hungaria, Bohemia REX*, sed etiam *ARCHIDux AVStriæ & DVX BVRgundia* vocatur.

Quod

Quod superest, in aduersa hujus uncialis parte, sub ipsa Principis effigie iterum occurrit figura ista, quam p. 106. in III. Matthiæ Imperatoris nummo observavimus, *cantherius* scilicet (Gallis *Chevron*) qui circulo inscribitur. Sed quale hoc sit symbolum, nos fugere denuò fatemur; æquè ac illam *gryphi* protomen, quam nummo præcedenti aquilæ scutariæ substare videas, ut & varia Imperialium ænigmata heraldica id genus alia.



V.



FERDINAND. D. G. RO. I. S. AVG. GER. HV.
 BOH. REX. *Effigies Imperatoris laureata.*
 ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR. MAR. MOR.
 CO. TYR. 1630. *Aquila Imperialis biceps,*
coronata, gladioque & sceptro prædita, scutum
coronatum pectore gerens, torque ordinis Aurei
Velleris circumdatum.

Com-

Communisſimushic uncialium *Ferdinandi II.* nummorum typus eſt, qui variis annorum numeris ſignatus occurrit. Præcipuè autem trigefimus ſæculi hujus annus, qui præſenti nummo inſcriptus eſt, probè meretur, Imperatorem *laureato* capite exhiberi, cum is circa hæc tempora per duces ſuos *Wallenſteinium* & *Tillium* varias contra proteſtantes Germaniæ ſtatus viſtorias obtinuerit. In pugna enim *Lutterenſi*, an. 1626. d. 27. Aug. commiſſa, ſuperior evaſit, victumque Daniæ Regem Chriſtianum IV. eò adegit, ut dereconcilianda pace inierit conſilia, quam an. 1629. in hâc ipſa civitate noſtra, Imperiali Lubeca, impetravit. Utroſque etiam *Mecklenburgi* Duces, Adolphum Fridericum, & Ioannem Albertum proſcripſit Imperator, nec non hereditarias eorum provincias Alberto Wallenſteinio, Fridlandiæ principi, conceſſit; quas illi tamen paullò poſt recuperârunt, ex quo Guſtavus Adolphus, Sveciæ Rex, eorum conſanguineus, in ſubſidium venit, & cæde Wallenſteinii (anno 1634. Egræ perpetrata) donatio ei facta exſpiravit.

Cui lubet reliquos horum tempotum eventus noſcere, Theatrum Europæum, alioſque id genus libros, conſulat. Noſ ad præſentem nummum potius adhuc notamus, à tergo Ferdinandi *inſignia Hungariæ*, à fronte verò *S. Mariam*, regni iſtius

tute-

Q

tutelarem divam, expressam esse; quod utrumque jam in uncialibus præcedentium Imperatorum nummis observavimus. Coronata verò aquilæ ensiferæ sceptrigeræque averfi lateris *insignia*, quæ volucris ista pectore præfert, ex parmula *Hungarica*, *Bohemicaque* quadripertita sunt, incumbente medio loco tessera *Austriaco-Burgundica*, de qua abunde dictum est.

VI.



FERDINANDVS II. D. G. RO. IM. S. AVG.
 GE. H. B. REX. *Caput Imperatoris laureatum.*
 ARCHIDVX. AVS. DVX. BVRG. COMES. TYR.
 1634. *Aquila Imperialis biceps, scutum coronatum pectore gestans, adscriptis literis N. B.*

VNciali hunc in *Hungaria* cūsum esse, tam literæ N. B. averso lateri impressæ, & locum monetalem *Nagi Bania* denotantes, arguunt, quàm bipertita regni istius insignia, quæ pectori

Imperialis aquilæ inscripta sunt. Non minor autem Ferdinando II. imperante fuit *Hungaricarum* rerum motus ac perturbatio, quàm supra de *Bohemiis* intelleximus. *Gabriel Bethlen* enim, Transylvania princeps, vulgò *Bethlen Gabor* appellari solitus, rupta pace, quam an. 1615. cum Imperatore sanxerat, allectisque primùm callidè in suas partes Hungariæ proceribus, deinde verò aperto Marte occupatis oppidis, effecit, ut abrogato rejectoque *Ferdinando* Austriaco, legitimo Hungarorum Rege, ipse anno 1620. die 25. Aug. *Rex Hungariæ* electus & renunciatus fuerit. Sed breve fuit gaudium, quo novo huic regi exultare licuit. Nam Ferdinandus Imp. collecto sine mora milite rebelles Hungaros in ordinem redegit, eosque inprimis misso Ambrosio Spinola, cum victorioso contra Bohemos atque Palatinos exercitu, adeò terruit, ut anno statim 1621. de humili ad obsequium reditu consilia iniverint. Nickelsburgi itaque in Moravia convenerunt legati Imperatoris, Principisque Transylvaniae, & tandem an. 1622. die 26. Ianuar. eà lege pacem firmârunt, ut Gabriel Bethlen omni prorsus titulo & juri Hungariæ regis renunciaret, abreptamque regni istius coronam Ferdinando restitueret, nec non principis Imperii dignitate viveret contentus, & quæ fuerunt istiusmodi conditiones alia.

Ex illo igitur tempore *Ferdinandus* noster uti Romano Imperio, ita etiam Hungariæ Bohemiæq; regnis tranquillè præfuit; excepto tamen bello triennali Germanico, cujus finem videre ipsi non ex voto licuit. Nam anno demum 1637. (adeòque triennio post signatum hunc, quem exhibemus, nummum) die 15. Februarii Imperator hic Viennæ obiit, exiguo temporis intervallo post reditum à conventu Ratisbonensi, quò *Ferdinandum* filium *Regem Romanorum*, adeòque Imperii successorem, eligendum curaverat.

FERDINANDVS III.



FERDINAND: III. D: G: RO: IM: S: AV: GE:
 HV: BOH: REX. *Caput Imperatoris laureatum.*

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR: COMES. TY-
 RO:

RO:1638. *Aquila biceps, ensifera & Sceptri-
gera, scutum torque Aurei Velleris cinctum
pectore gerens.*

Epriori Imperatoris Ferdinandi II. & Mariæ
Annæ Bavaræ conjugio, præter binas *fili-
as* (quarum altera Maximiliano Bavaræ E-
lectori, altera verò Vladislao IV. Poloniae Regi
elocata fuit) duo quoque *fili* ad justam ætatem per-
venerunt, *Ferdinandus* scilicet, (qui & *Ernesti*
nomen gessit) & *Leopoldus Wilhelmus*. Horum
minor natus, *Leopoldus Wilhelmus*, vitam ec-
clesiasticam amplexus, varios Episcopatus rexit,
supremusq; ordinis Teutonici Magister, nec non
Belgii Gubernator extitit. Major natus verò FERDI-
NANDVS nominis hujus III. Patri cognomini
tam in avitis regnis & hereditariis provinciis, quàm
in Imperio Romano-Germanico successit.

Fuit is in hanc lucem editus an. 1608. die 13. Ju-
lii, & amplissimis naturæ non tantùm & gratiæ, sed
& fortunæ dotibus instructus, vivo adhuc patre re-
gnum *Hungariæ* anno 1625. *Bohemicum* verò an.
1627. obtinuit. Extat in hanc rem (præcipuè quod
Hungariæ regnum attinet) nummus memorialis
argenteus, forma quadrata an. 1625. cusus, cujus
alterum latus combinatas Imp. *Ferdinandi II.* &
Vxoris *Elconoræ* Mantuanæ effigies exhibet, addi-
tâ epigraphe: FERDINANDVS. II. D. G. R.

I. S. A. G. H. B. REX. ELEONORA. IMP. G. H. B. REG. DV. MANT. Altero autem hujus nummi latere effigies *Ferdinandi III* Hungarico habitu vestiti occurrit, his verbis circumscripta: FERDINANDVS. III. D. G. REX. HVNG. ARCHID. AVS. D. BVRG. CO. TYR. In isto *Hungaria* regno quoque præfens uncialis an. 1638. signatus est, ut *insignia* aversæ partis literæque N. B. satis arguunt, sed eò tamen tempore, quò Ferdinandus noster amplioribus jam honoribus ornatus, præter memoratas *HVngariae BOHemiaeque Regis* dignitates ad supremum *ROMani Imperii* gradum pervenit.

Cùm enim Ratisbonæ an. 1636. die 22. Decemb. unanimi procerum consensu in *Regem Romanorum* esset electus, paullò post patri Ferdinando II. (sub initium sequentis anni mortuo) in ipso quoque *Imperio* successit, cui per 20. annos cùm summa clementiæ aliarumque Austriacarum, hoc est, summarum virtutum laude præfuit.

Tres interim uxores sibi invicem succedentes Ferdinandus habuit. Prima fuit *Maria Anna*, Philippi III. Hisp. R. filia, an. 1631. ducta, & an. 1646. mortua, quæ ipsi, præter alios utriusque sexûs liberos, *Ferdinandum IV.* Romanorum Hungariæ Bohemiæque Regem, & gloriosissimum Imperatorem nostrum LEOPOLDVM peperit. Secunda fuit

fuit *Maria Leopoldina*, patris Leopoldi Archiducis Austriae filia, quae an. 1648. thalamum Imperatoris ingressa, sequenti statim anno eundem deseruit, dum filium *Carolus Josephum*, (Passaviensem postea & Vratislaviensem Antistitem) enixa, in puerperio extincta est. Tertia denique Ferdinandi uxor fuit *Eleonora Gonzaga*, Caroli Mantuae ducis filia, an. 1651. ducta, quae postquam trium vel quatuor liberorum mater facta fuit, anno demum 1686. ad plures abiit.

II.



FERDINAND. III. D. G. RO. I. S. AVG. GER.
 HV. BOH. REX. *Effigies Imperatoris laureata.*
 ARCHIDVX AVS. DVX BVR. MAR. MOR.
 CO. TY. 1654. *Aquila Imperialis, scutum
 coronatum pectore gestans.*

N Vmni hujus uncialis typus, si solum FER-
 DINANDI III. nomen excipias, prorsus
 idem

idem est, ac ille, quem inter *Ferdinandi II.* nummos p. 120. vidimus. Variis etiam annorum numeris hujusmodi imperiales Ferdinandi III. signati occurrunt, adeò ut etiam extent, qui annum 1658. & 1659. præferant, licet Ferdinandus noster jam an. 1657. (ceu mox dicendum erit) mortuus sit. Quod nimiã monetariorum festinatione accidisse puto, qui temporis futuri non minus quàm præsentis ratione habitã, annorum sæpè proximorum numeros pecuniæ inscribunt, licet nesciant, utrum is, cujus auctoritate nummi cuduntur, eò usque vitam ducturus sit. Exempla enim hujus rei in uncialibus aliisque nummis tam aureis quàm argenteis occurrunt plurima.

Sed quod ad *anni* 1654. numerum præsentis nummo expressum attinet, is Ferdinando III. toti; domui Augustæ valdè luctuosus extitit. Nam eo ipso filius Imperatoris natu major, & Princeps juventutis, *Ferdinandus IV.* (cui etiam *Francisci* nomen fuit) an. 1633. ex Maria Anna conjuge susceptus, tribusque jam coronis, *Bohemicã* scilicet, *Hungaricã* & *Romanã*, ornatus, non sine gravissimo tam subditorum quàm omnium bonorum luctu, morbillis seu variolis oppressus obiit. Acerbè sanè dolor iste festivum temperavit gaudium haut multò ante toto Imperio conceptum, ob terminatum an. 1648. *pace Westphalica* tricennale bellum,

lum, & requiem publicam denique an. 1650. Norimbergensi conventu Germaniæ restitutam. Benè tamen fuit, quod isto magnæ spei Principe in ipso ætatis flore mortis invidiâ abrepto, *alter* non defecerit, qui tot tantisque regnis æquè dignè præfici, immò etiam augusto Patre mortuo ipsius Imperii habenas capeffere potuerit.

Quod reliquum est, circa præsentis uncialis typum adhuc notari meretur, planè singularem hujus generis nummum extare, peculiari indigentem Oedipo. Is alterâ parte, *aversâ* scilicet, præsentis nostro prorsus similis est, nisi quod (loco tituli *Archiducis Austria*, ceterarumque dignitatum hõc nummò expressarum) circa bicipitem imperialem aquilam, gladio sceptroque præditam, & coronata *Hungarico - Bohemica* insignia pectore præferentem, hæc verba (prioris in nostro lateris) legantur: FERDINAND: III D: G. RO. I. S. AVG. GER: HV. BOH. REX. *Adversa* autem istius uncialis pars tota lævis est, has quatuor tantùm litteras I. K. E. M. (quas flosculi nonnulli distinguunt) subscriptumque anni 1655. numerum ostendens. Sed hoc quid sibi velit, me non capere lubens fateor: non ignarus alioquin, isthoc anno 1655. partim gloriofissimum *Leopoldum* nostrum *Hungaria* regnum obtinuisse, partim verò Imp. Ferdinandi III. novercam, *Elconoram* Gonzagam, Vincentii Mantuæ

tux D. filiam, & Ferdinandi II. Imp. viduam, excessisse numero viventium. Quarum rerum an quid ænigmatico huic nummo unciali ejusque siglis conveniat, alii me perspicaciores viderint.

III.



FERDINAND. III. D. G. ROM. IM. S. A. G.
H. E. B. REX. *Effigies Imperatoris laurea-*
ta 1657.

ARCHIDVX AVSTRIÆ ET CARINTHIÆ. D. B. EC.
Insignia coronata, & torque Aurei Velleris
cincta.

Hic nummus in *Carinthia* signatus est, quam ob rem FERDINANDus noster, præter consuetos ROManorum IMperatris Semper Augusti, *Germania, Hungaria Et Bohemia Regis* titulos, ARCHIDVX AVSTria ET CARINTHIÆ appellatur, non tamen neglecto Ducis Burgundie axiomate. *Insignia etiam aversæ partis superiori*

ri velementior loco exhibent tesseram *Carinthia*, cui genii duo alati adstant, gladio sceptroque armati, & imperialem coronam tenentes. His quatuordecim aliæ subjiciuntur areolæ, quarum prima tæniæ *Hungaricas*, secunda verò leonem *Bohemicum* complectitur. Tertia leonem *Legionensem* habet, quarta fasciam *Austriacam*, quinta baltheos *Burgundicos*, & sexta castellum, regni cognominis *Castellani* symbolum. Quæ sequitur septima, animal ignivomum *Stiria* comprehendit, octava aquilam *Tirolensem*, nona leonem *Habsburgicum*, & decima leonem *Goritiensem*. Undecima Marchionatum *Burgovia* designat, duodecima Ducatum *Wûrtembergicum*, decima tertia Ducatum *Svevia*, & decima quarta denique *Alsatie Landgraviatum* indicat; de quibus omnibus abundè supra dictum est.

Ejusdem ferè typi uncialem *alium* Ferdinandus noster an. 1646. in *Stiria* signari jusfit, eò solò ab hòc nostrò diversum, quod superiorem insignium locum occupet *Stiria* tessera, simbolo *Carinthia* ad septimam areolam rejecto; ipseque Ferdinandus post *ARCHIDUCIS AVSTRIÆ* titulum *DVX BVRGUNDIA, STYRIÆ, &c.* appelletur.

Cæterum hic, quem diximus, Imperator *FERDINANDUS III.* eo ipso demum an. 1657. quo præsens nummus cusus est, die 2. Aprilis vivendi finem


fecit, cuius encomium apud *Galeatum Gualdum*
Prioratum (Histor. di Leopoldo Cesare, lib. 1. p. 13.)
 ita habet: *Fu questo Cesare veramente degno d'*
esser con eterni encomij celebrato, non solo da tutte le
penne, e da tutte le lingue de gl' huomini, mà (se
possibile fosse) da gli stessi Angeli; mentre le sue
heroiche attioni, cosi in guerra, come in pace, lo
collocarono nel più alto seggio del merito e del valo-
re &c. Id est: Verè dignus fuit Imperator hic, æter-
 nis omnium non tantùm humanorum calamorum
 & lingvarum elogiis, sed etiam angelorum (si fieri
 posset) laudibus celebrari; cum per res pace bel-
 loque fortiter gestas supremo virtutis & opti-
 morum meritorum fastigio
 collocatus fue-

rit.

LEO-

LEOPOLDVS,

I.



CONSILO ET INDVSTRIA. *Dua manus e nubibus protensa, quarum altera sceptrum, altera gladium tenet, oculo radiato desuper prospiciente in globum terraqueum.*

LEOPOLDVS HVNG:&BOH:REX CORON: IN. REGEM ROMANORVM I. AVGVSTI MDCLVIII. *His verbis duo angeli imminet, coronam & sceptrum tenentes.*

Augustissimus Imperator noster LEOPOLDVS (qui etiam *Ignatii, Francisci, Balthasaris, Iosephi, & Feliciani* gerit nomina) anno sæculi hujus quadragesimo, d. 9. Iunii, Viennæ natus est. Patrem habuit *Ferdinandum III.* Imp. cujus modò mentionem fecimus, matrem verò *Mariam Annam* Hispanicam. Succesit fratri

Ferdinando IV. in *Hungarico* regno an. 1655. d. 27. Iunii, ut & sequenti anno 1656. d. 14. Sept. in regno *Bohemico*; unde in præsentis nummo *HVN-Garia* & *BOHemia* REX vocatur. Parente verò mortuo, *Francofurti* ad *Moenum* an. 1658. d. 18. Iulii *Electorum* suffragiis *Romanorum Rex* & *Imperator* fuit creatus, ibidemque sacratissima ipsius tempora d. 1. Augusti solenni ritu *Imperiali* corona redimita sunt.

Hanc in rem uncialis iste, quem exhibemus, cufus est. Is enim altera parte solenne gloriosissimi Imperatoris nostri *symbolum* præfert, his verbis conceptum: **CONSIPIO ET INDVSTRIA**; quod optimus Princeps adeò semper ante oculos & in animo habuit, ut hæcenus (omni Europa teste) inchoandis ab ipso rebus nunquam deliberatum & maturum *Consilium*, perficiendis verò nunquam indefessa & alacris *Industria* defuerit. Vtrumque eleganti emblemate hæc adumbratur. Nam *oculus*, undique in subjectum *globum* radios emittens, providi ac circumspecti *consilii* nota est; binæ autem *manus*, tam *sceptro* quàm *gladio* armatæ, *industriam* provinciis seu regendis seu tuentis adhibendam indicant.

Alterâ vel averâ nummi hujus pars annum & diem *coronationis* Leopoldi exprimit. Quæ cum ipsis *Augusti calendis* fuerit peracta, non defuerunt

runt omina, prospera quævis pollicentia, quoniam ista dies maximorum principum natalibus, aliisque rebus notatu dignis, apud fastorum scriptores inelyta est; qua de re, si lubet, dicta Comitis *Galeati Gvaldi Priorati* Historia di Leopoldo Cef. part. 1. lib. 2. p. 163. aliique auctores possunt consuli. Ipsiùs verò *Coronationis* actum quod attinet, præter *Theatrum Europæum, Gvaldumque Prioratum*, quem citavimus, nec non pèculiare scriptum, quod an. 1660. Francofurti Latino-Gallicè prodiit, hoc titulo: *Solemnia Electionis & Inaugurationis Romanorum Imperatoris Augusti, &c.* de cærimoniis ibi adhibitis legi potest *Io. Christoph. Becmani* Syntagma dignitatum illustr. dissert. 5. c. 4. n. 3. p. 588. sqq. Vbi etiam p. 597. observandum, nummos varios aureos argenteosve isto coronationis festo in populum sparsos esse, qui licet pondere diversi fuerint, utrinque tamen easdem literas & figuras habuerunt, quas

unciali nostro vidi-

mus.



II.



LEOPOLDVS. D: G. RO. I. S. AVG. GER.
 HV. BOH. REX. *Effigies Imperatoris laureata.*
 ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR. MAR. MOR.
 CO. TY. 1659. *Aquila Imperialis, scutum*
coronatum pectore gerens.

Congruit hujus uncialis typus cum iis num-
 morum Ferdinandi II, & III. Imperatorum
 formis, quas p. 120, & 127. lustravimus. Ne-
 que enim *tituli* abluunt, nec *insignia*; immò
 etiam eòdem *loco* omnes hujus generis Imperiales
 cusos esse, literæ K. B. aquilam averſæ partis comi-
 tantes indicant.

Habemus autem hîc *Leopoldum* nostrum, in ipſo
 Imperii limine quasi constitutum, & juvenili noven-
 decim annorum vultu expressum, quicum fortè suc-
 cedentem provectoris ætatis habitum contulisse
 non injucundum fuerit. Is nummum hunc in

Hun-

Hungaria signari jusfit, & quidem anno 1659. qui turbis *Ragozianis* in *Transylvania* & *Hungaria* motis est notabilis, quarum excitatio Imperatorii nostro, tanquam *Hungariæ* Regi, ansam dedit *Pofonium* proficiscendi, ut indicis ibi comitiis cum proceribus regni conferret, quæ foret optima *Turcas* (aspera quæque minitantes) vel arcendi vel repellendi ratio. In ipso quoque Romano Imperio hoc tempore non omnia satis pacata fuerunt, cum affligente adhuc *Septentrionem* bello *Dano-Svecico*, *Cæsareani* milites, fœderatique eorum Socii, *Pomeraniam* ingressi, oppida nonnulla *Svecis* eripuerint, frustra tamen tentato *Sedino*, *Ducatûs* hujus metropoli. At his exceptis motibus, boni ominis loco habendum est, quod primordia Imperii *Augustissimi* Principis nostri catholicâ ferè *Christiani* orbis pace nobilitata fuerint; *Pyrenæa* scilicet, hoc ipso anno 1659. inter *Gallos* & *Hispanos* firmata, nec non *Hafniensi*, sequenti anno inter *Danos* & *Svecos* conclusa, ut & *Olivensi*, qua *Polonorum* *Svecorumque* lites sunt compositæ.

III.



LEOPOLDVS, D: G: ROM: IMP: S: A: G: H: B:
 REX. *Effigies Imperatoris laureata.*

ARCHID: AVST: DVX: BV: CO: TYR. 1668.

Insignia coronata & torque A. V. cincta.

Cœlibem hæctenus Imperatorem nostrum LEOPOLDVM vidimus; jam verò eundem in conjugio viventem licet contemplari, & suæ quidem ex sorore neptis, *Margaritæ Theresiæ*, maritum, quæ fuit Philippi IV Hisp. R. filia, & an. 1666. d. 12. Sept. augustum ipsius thalamum ingressa est. Ea quidem nono ab hinc mense principem peperit, cui *Ferdinandi Wenceslai Iosephi Michaëlis Elcearii* nomina fuerunt indita; sed hunc terris vix ostensum illo ipso, qui præsentis nummo inscriptus est, anno 1668. fata rursus abstulerunt. Parem sortem nacta sunt cetera prioris hujus matrimonii pignora, sola *Maria Antonia Iosepha*
Bene-

Benedictina Rosalia Petronella excepta, quæ ad iustam ætatem pervenit, & potentissimo Baviaræ Electori Maximiliano Emanueli an. 1685. elocata fuit, quamvis hoc connubio vitæque usu non diu sit gavisa, sed anno 1692. post editum hereditarium Electoratûs principem, ad plures iterum abierit. Ipsa mater etiam, Leopoldi uxor, de qua agimus, neutiquam longæva fuit, sed an. 1673. d. 12. Martii animam cælo reddidit.

Iam, quod ad uncialem nostrum spectat propius, nova in eo occurrens *insignium* dispositio notanda est. Quadripartitus enim averlæ partis major clypeus, inserta pedi scutario parmula triquetra in quinque areolas dispescitur. Harum prima continet fascias *Hungaricas*, secunda autem leonem *Bohemicum*; tertia bipertita est ex fascia *Austriaca*, & baltheis *Burgundicis*, eique opposita quarta pari modo hinc leonem *Habsburgicum*, inde verò *Goritiensem* ostendit. Inferior denique sive quinta areola quinque alaudas, antiquam Archiducatus *Austriæ* tesseram, complectitur. Hôc olim symbolô Austriaci usi sunt, ante assumptam, quæ hodie illorum insignia constituit, *fasciam*. Soletque origo avicularum istarum, quæ neque *philomela*, nec *aquilula* (*alerions* à Gallis appellatæ) sed potius *alaudæ* sunt, ad LEGIONEM X. ALAVDARVM referri, quam Trajanus Imp. ad Danu-

bium collocavit, defendendo adversus Decebalum, Daciae rectorem, flumini. Incertum verò, an Romana isthæc Legio *Alandarum* cognomen à galearum formis, vel à signis suis gesserit; quâ de re vid. *Sig. à Bircken Desterr. Ehrensfp.* l. 2. c. I. p. 152. add lib. 2. c. 3. p. 173.

Medio tandem scuti hætenus descripti loco incumbit parmula, exhibens aquilam coronatam, Comitatus principalis *Tirolensis*, quo nummus hic signatus fuit, indicem.



LEOPOLDVS. D: G: ROM: IM: SE: AV: GE:
HVN: BOH: REX. *Effigies Imperatoris lau-
reata.*

ARCHI. AVS. DVX. BVRG. STYRIÆ. E. 1672.
Insignia coronata, & torque A. V. cincta.

Hic uncialis fatali illo anno 1672. cufus est, quò
Ludovicus XIV. Gallia R. funestum Batavis
bellum

bellum intulit, brevislimoque tempore plurimam ferè partem foederati Belgii subegit, adeò ut nisi Imperator, Elector Brandenburgicus, aliique Imperii procères in subsidium venissent, & armis Gallicis statuissent obicem, misera satis unitarum provinciarum vicinarumque gentium fuisset conditio. Qui motus tandem an. 1679. pace Noviomagensi sunt compositi.

Ad *Styria* ducatum verò nummus noster pertinet, quod gryphus ἀπλερ, vel animal ignivomum istius regionis, superiori insignium loco collocatum, indicat. Hanc tesseram à dextris stipant tæniæ *Hungarica*, à sinistris verò Leo *Bohemicus*. Succedit alius leo, regni *Legionis* symbolum, nec non fascia *Austriaca*, δειγμα *Burgundicum*, & castellum *Castellanum*. Sequitur tessera *Carinthia*, aquila *Tirolensis*, leonesque *Habsburgicus* & *Goritia*. Ultimum denique insignium ordinem constituit parmula *Burgovia*, *Württembergica*, Ducatus *Svevia* & Landgraviatus *Alsatie*. De quibus omnibus post ea, quæ superiùs dicta sunt, nunc nihil habemus addere.

V.



LEOPOLDVS. D. G. RO. I. S. AV. GE. HV.
B. REX. *Effigies Imperatoris laureata.*

ARCHIDVX. AVS. DVX. BVR. COM. TY. 1672.

Aquila duplex, insignia pectore gestans. N. B.

Hungariae insignia sunt, quæ imperialis nummi nostri aquila (ensifera & sceptrigera) pectore ostendit, eaque non coronata tantum, & initialibus literis nominis loci monetalis *Nagibania* stipata, sed etiam torque ordinis A. V. circumdata. In isto autem regno circa hæc tempora non leves turbas dedit inquietus malevolorum animus, qui facta conspiratione gravissimum læsæ Majestatis crimen committere non sunt veriti. Fuerunt inter hos magni nominis Comites, *Serinius, Frangipanius, Nadaustus, Tettenbachius* & alii: Sed isti tandem capti, & an. 1671. partim Viennæ, partim verò Neostadii Græciique capite plexi, funestas per-

perduellionis pœnas dederunt. Hinc victor Imperatoris exercitus omnem paullatim Hungariam in ordinem redegit, ejectisque diversæ religionis hominibus, ecclesiarum inprimis scholarumque ministris, (qui partim exilio, partim verò tiremium supplicio mulctati sunt) non ante desistit, quàm regni incolæ ad fidem Romano-Catholicam reducti fuerunt.

VI.



LEOPOLDVS. D. G. ROM. IMP. S. A. G. HVNGARI. REX: *Effigies Imperatoris laureata.*
 S. IMMACVLATA. VIR. MAR. MAT. DEI. PAT. HVNGA. 1675. *Maria tennoΦόρ & luna insistens & radiis cincta, sinistra sceptrum tenens.*

Tutelarilla *Hungaria* diva, quam aliquoties nummis expressam vidimus, *Sacra* scilicet & IMMACVLATA VIRgo MARIA, MATer DEI,

DEI, PATRONA HVNGARIE, a verso uncialis hujus lateri inscripta nobis sistitur. Majori autem forma, ornatuque solenniori conspicua est, & quæ ipsi aliàs ex aduerso opponi solebant, *insignia*, sub pedibus habet, clypeum nempe bipeditum, qui hinc tænias nonnullas, inde verò crucem patriarchalem, utrumque *Hungariæ* symbolum, complectitur. Adstant notissimæ nobis siglæ N. B. locum monetalem *Nagi Bania* denotantes; aliæque binæ literæ L. M. subjiciuntur, quæ sine dubio nomen monetarii occultant.

Cæterùm Imp. noster *Leopoldus* biennio ante, quàm hunc uncialem signari curavit, priori sua conjugè defuncta, ad secunda vota animum adjecit, & an. 1673. d. 15. Octob. Græcii duxit *Claudiam Felicitatem*, Ferdinandi Caroli, Archiducis Aultriæ, ex Anna Medicæ filiam, præstantissimis animi corporisque dotibus ornatam principem. Sed ea, (quæ factorum est durities) postquam bis mater facta fuit, duplicemque prolem foemineam (brevisimæ vitæ) edidit, immatura morte oppressa, an. 1676.

d. 8. Aprilis dignissimam diuturniori inter mortales habitatione animam efflavit.

VII.



LEOPOLDVS. D. G. RO. I. S. AVG. GER.
 HV. BO. REX. *Effigies Imperatoris laureata.*
 ARCHIDVX: AVS. DVX. BVR. MAR. MOR.
 CO. TY. 1692. *Aquila Imperialis biceps, in-*
signia coronata pectore gerens.

En LEOPOLDVM nostrum, *tertia uxoris*
 conjugem, *Eleonora* scilicet *Magdalena The-*
resia, Philippi Wilhelmi, Comitis Palatini
 Neoburgensis (postea Electoris) filia, quam an. 1676.
 d. 14 Dec. Passavii in augustum thorum suum adsci-
 vit. Fuit ea prioribus thalami imperialis sociabus
 felicior, noviesque hactenus mater facta, praeter flo-
 rentissimas aliquot sequioris sexûs Principes, adhuc
 superstites, augustissimum *Romanorum Hunga-*
riaque Regem IOSEPHVM (qui etiam *Iacobus*
Ignatius Ioannes Antonius Eustachius vocatur)
 an. 1678. d. 26. Iulii peperit; nec non fratrem ipsi-

T

us

us *Carolus* Archiducem, (qui *Francisci Iosephi Wenceslai Balthasaris Iohannis Antonii Ignatii* quoque gerit nomina) an. 1685. d. 1. Octob. in hanc lucem editum. Perennent ista non tantum domus Augustæ ac Austriacæ gentis, sed totius etiam Imperii columina, & spem amplissimam de se conceptam longè superent!

Porro in hęc unciali notanda est *adscititia* LEOPOLDI *coma*, qua ex more sæculi ornatus apparet. Nam inter omnes, quod sciam, Imperatores Germanicos ante eum nemo ejusmodi capitis habitu usus legitur, aut in nummis spectatur. Attamen in historia Romana veteri exemplum habemus, ubi *M. Salvius Otho* Imp. qui Galbæ succesit, (*Svetonio* teste) *galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato* calvitii deformitatem velavit. Quo adscititio capillamento undulato, sive per gradus in ordinem disposito adhuc hodie nobis in nummis suis sistitur.

VIII.



LEOPOLDVS. D: G: ROM: IMP: SEM: AVG:
GERM: HV: & BO: REX. *Effigies Imperatoris
laureata.*

ARCHIDVX. AVSTRIAE. DVX. BVRG. & SI-
LESIAE. 1695. *Aquila Imperialis, scutum pe-
ctore gestans.*

Qvos haectenus consideravimus augustissimi
Imperatoris nostri titulos, novo SILESIAE
axiomate in hoc nummo auctos videmus.
Hujus dignitatis quidem jam antea ad nummum
III. Ferdinandi I, p. 50. mentio facta est, ubi dictum,
quo pacto Silesia à Polonis ad *Bohemos* pervene-
rit, adeòque simul cum corona Bohemiae ad Au-
striacos tandem fuerit devoluta. At hîc notandum,
Leopoldum nostrum summo merito suo Ducis
SILESIAE nomen sibi tribuere, cùm *Piastéis*
T 2 omni-

omnibus extinctis, ad ipsum, tanquam Bohemiæ Regem, singuli Silesiæ Ducatus, quos illi jure beneficiario possederant, relapsi sint. Nam ultimus eorum fuit *Georgius Wilhelmus*, præclaræ indolis & magnæ spei princeps, in ipso ætatis flore an. 1675. immatura morte abreptus, à cuius fato omnis iterum Silesia ad feudi dominum, Imp. nostrum, rediit, excepto tamen *Crosnensi* Ducatu, quem unà cum *Svibusio*, potentissimus Elector Brandenburgicus tenet, nec non Ducatu *Olsnensi*, qui ex hereditate Podiebradica tertis è Würtenbergica gente Principibus concessus est.

Insignia uncialis hujus (præter exiguam mutationem) ferè gemina sunt illis, quæ aliquoties lustravimus. Nam caput scutarium ex *Hungarico, Bohemicoque* symbolo bipertitum est. Quæ huic substant *tesseræ, Castellam, Legionem, Arragoniam, Siciliamque* denotant. Sequitur *deÿva Habsburgicum, Austriaco-Burgundicum, Carniolense, & Würtenbergicum*. Pedi demum clypei tres areolæ trigonæ inferuntur, quarum prior *Austriam superiorem* designat, posterior Principalem Comitatum *Tyrolensem*, media verò *Silesiæ Ducatum*, aquila (lunulam cum crucicula pectori inscriptam gerente) adumbrari solitum.

Hæc sunt præcipua, quæ nobis obvenerunt, nummorum uncialium, ab IMPERATORIBVS & REGIBVS ROMANIS signatorum, genera. Quorum licet explicationes hæctenus recensione *mortis* singulorum principum, qui eos cudi jussunt, obfignâimus; fatale tamen illud nuncium de LEOPOLDO nostro nondum addi oportere, nobis meritò ac universo Christiano orbi gratulamur. Superat enim divina adhuc gratia Princeps iste pius, felix, optimus, omnique laude nostra longè major, quem supremus humanarum rerum arbiter porrò vivere, florere, vincere, augustumque spiritum post seros demum annos cœlo reddere clementer jubeat.



(150.)

NVMMI VNCIALES
ARCHIDVCVM
AVSTRIAE.

SIGISMVNDVS.



SIGISMVNDVS. ARCHIDVX. AVSTRIE. *Effigies coronata, dextrâ sceptrum, sinistrâ gladium tenens.*

Eques armatus, dextrâ vexillum gestans, & 14. parmulis circumdatus. 1484.

Post explicatos *Imperatorum Regumque Romanorum* nummos, ad enarrationem uncialium, quos ARCHIDVCES AVSTRIAE signari iusserunt, nos accingimus. Antiquissimi horum, immò omnium fortè istius ponderis nummorum primi sunt, quos exeunte sæculo post natum Christum

stum XV. SIGISMVNDVS fieri fecit. Is anno 1427. in hanc lucem fuit editus, & patrem habuit *Fridericum* (*Leopoldi Probi* filium) Ducem Austriae ac Tyrolis Comitem, quem Itali per ludibrium *il prencipe della borsa vuota*, h. e. vacuæ crumenæ principem, appellârunt, quoniam à Sigismundo Imp. proscriptus plerasque perdidit provincias. Sed ille falsitatem dicitur istius ostensurus, vestibulum prætorii Oenipontani *aureo tecto* exornavit, quod splendidum inexhausti marsupii documentum, & vel ducentorum millium aureorum opus, in hunc usque diem Oeniponti visitur. Matrem habuit Sigismundus *Annam*, Friderici Brunsvicensis Ducis filiam, quæ fuit posterior Friderici Austriaci conjux, eique præter hunc, de quo agimus, principem, liberos nonnullos alios, sed brevioris vitæ, peperit.

Vnicus itaque parentum suorum heres *Sigismundus* noster extitit, qui vulgò quidem apud scriptores *Simplicis* cognomen gerit, à nonnullis tamen *Venerabilis*, & *Pater pauperum*, *Opulentus* item & *Beneficus* vocatur. Fuit enim pacis amantior, quàm belli, inque viros sacri ordinis & eruditos admodum benignus, unde etiam in sepulchrali inscriptione *Mæcenus Literatorum* dici meruit. Interim tamen haud planè à belli artibus abhorruit, ceu variæ ipsius actiones militares arguunt,

guunt, in primis autem illa expeditio, quâ an. 1460. *Nicolaus Cusanus*, Cardinalem & Episcopum Brixinensem, superavit, eundemque captum Oeniponti custodiæ tradidit. Quamvis hanc ob rem censuram incurrerit ecclesiasticam, & à Pontifice R. excommunicatus fuerit.

Juveni adhuc Sigismundo huic desponsata fuit *Radegundis*, Caroli VII. Galliarum R. filia; sed ea præmaturo fato abrepta ante peracta nuptiarum solennia supremum diem obiit. Hinc princeps noster, postquam adolevit, an. 1448. sibi junxit *Eleanoram*, Jacobi II. Scotiarum R. filiam, cum quâ licet duos & triginta annos vixerit, unicum tamen ex eâ saltim filium, *Wolfgangum*, suscepit, qui terris vix ostensus, & in cunis adhuc vagiens, iterum decessit. Nec foecundius fuit alterum Sigismundi matrimonium, quod eodem, quò nummus noster signatus est, anno 1484. contraxit, ductâ *Catharinâ*, Alberti Animosi, Saxoniarum Ducis, filia, quæ post prioris hujus mariti fata Erico Duci Brunsvicensi nupsit. *Naturales* tamen liberos quamplures Sigismundus habuit (masculos scilicet quatuor, & foemellas septem) quorum catalogum apud *Didacum de Lequile* Matrimon. Austr. Excurs. 5. p. 275. aliosque auctores videas.


Jam quod ad nummum nostrum spectat propius, in eo observari meretur ARCHIDUCIS AV-
STRIAE

STRIÆ titulus, quem *Sigismundus* (armatus, sceproque & gladio, nec non pinnato Archiducali pileo ornatus) sibi tribuit. Cùm enim majores ipsius solâ *Ducum* appellatione contenti, *Archiducis* nomen rarò adhibuerint, quaritur, unde novus iste titulus huic Principi obtigerit? Sciendum verò, Austriacos dudum honoratori *Archiducum* dignitate gavisos fuisse, licet eam non semper & ubivis expresserint. *Fridericus* III. autem (sive IV.) Imperator, ceu p. 6. hujus libri diximus, obsoletum ferè aut omissum à majoribus *Archiducis* nomen resumpsit, nec non (*Gwillimanno* teste) consobrino suo *Sigismundo*, de quò agimus, an. 1475. amplissimo diplomate concessit, ut eòdem titulò impòsterum uteretur. Ex quò tempore gens Austriaca non aliò, quam *Archiducum*, axiomate venit, quò in hunc usque diem à reliquis omnibus S. R. I. totiusque orbis Principum gentibus distingvitur.

Aversæ partis nummi nostri *Eques cataphractus*, equo pariter armato insidens, & in cono galex pavoninam caudam gerens, quæ apicem insignium *Austriæ* constituit, dextrâ verò vexillum, fasciâ Austriacâ distinctum, quatiens, adeòque ipsum *Sigismundum* militari habitu ornatum denotans, (qui emblemate tali sæpè usus legitur, addito symbolo: *Laudanda est voluntas*) quatuor-

decim parmulis scutariis cingitur. Harum prima, eaque ceteris major, sub ipso equi ventre conspicua, quinque alaudas, antiquum *Austria* symbolum, quod p. 139. expendimus, complectitur. Parmula secunda (versus priores equi pedes numerando) ignivomum *Stiria* animal exhibet; tertia aquilam *Tyrolensem*; quarta tesseram *Marchionatus Burgovia*; quinta symbolum *Landgraviatûs Alsatia*; sexta pisces *Pfretenses*; & septima (quæ vexillo proxima est) galerum *Marchia Vinidorum*, *Austriacis* cum *Carniolâ* simul assertæ, continet. Octava parmula (quæ â tergo equitis deorsum numerando prima est) portam apertam domini *Portus Naomis*, sive *Portenavia*, comprehendit; nona leones *Kyburgenses*; decima *Austria superioris dæcyua*; undecima leonem *Habsburgicum*; duodecima aquilam *Carniola*; decima tertia *Carinthia* insignia; & decima quarta denique recentius *Austria* symbolum, quod unâ cum reliquis tesseris omnibus (solâ *Vinidorum Marchiâ* ac *Portenaviâ* exceptâ) jam aliquoties illustravimus.

II.



SIGISMVNDVS. ARCHIDVX. AVSTRIE. *Figura armata, dextrâ sceptrum, sinistrâ gladium tenens, stans inter leonem scatiferum, & galeam pavoninis pennis fastigiatam. Eques cataphractus, vexillifer, sedecim parmulis cinctus. 1486.*

Numnum hunc (qui & anni 1484. numero signatus occurrit) *Cel. colloquiorum menstrualium* auctor an. 1695. p. 89. sq. descripsit, eundemq; V. Cl. *Samuel Reyherus* in dissertatione suâ Iuridico-Stathmicâ *de tribus argenteis nummis, iisque uncialibus antiquissimis*, p. 21. primum esse voluit, cui explicando operam impenderet. Integram verò hîc *Sigismundi* Austriaci effigiem licet contemplari, cujus protome saltim præcedenti nummo fuerat exhibita. Ei ad dextram adstans leo recentiora *Austria* insignia scuto impressa te-

net; ad sinistram verò *galea* ejusdem Archiducatus apparet, laciniis circumvolitantibus ornata, & *caudam pavoninam* præferens. Antiquum hoc *galarum Austriacarum* ornamentum *Helvetiis* olim adeò invisum fuisse refert *Georgius Hornius*, (Orb. Polit. c. 4. n. 2. f. 3.) ut *pavones* omnibus suis ditionibus exterminaverint; additque exemplum ludicrum de Helvetio pennis pavoninis adeò infenso, ut, commonstrante quodam radios solares, in vitro vino repleto variegatis coloribus ludentes, ac dicente: En pulcræ caudæ pavonis! furentis instar, inter multas domus Austriacæ execrationes, stricto gladio vitrum illud tanquam hostem libertatis Helvicæ confregerit.

Aversa uncialis nostri pars à præcedenti nummo parum differt, nisi quod armatus ille eques *fasciam* à tegumento capitis in tergum defluentem gerat, ac *sedecim* parmulis scutariis stipatus sit. Earum prima quidem (reliquas magnitudine superans) antiqua iterum insignia *Austria* ostendit; at proxima secunda *Carinthia* symbolum complectitur. Tertia *galerum Marchia Vinidorum* præfert; quarta habet *δέρμα Hobenbergicum*, (ex hereditate prioris conjugis Rudolphi I. Imp. quæ fuit Anna, Bernhardi Comitis Hohenbergensis filia, ducta an. 1245. & an. 1281. mortua); quinta exhibet leonem *Habsburgensem*; sexta pisces *Pfretenses*; septima
sym-

symbolum *Austria superioris*; & octava tesseram Marchionatus *Burgovia*. Quæ ab altera vexilli parte extat nona, tria cornua cervina *Nellenburgica* (ex hereditate Regulindis *Nellenburgica*, quæ *Weneri Comitis Habsburgensis*, an. 1096. mortui, uxor fuit) comprehendit; decima *Alsatiam* notat; undecima comitatum *Kyburgensem*; duodecima *Tyrolensem*; & decima tertia *Montfortensem*, qui emptionis jure pervenit ad *Austriacos*. Huic proxima decima quarta parvula *Portum Naonis*; decima quinta *Carniolam*; & ultima tandem sive decima sexta *Styriam* designat.

Quod reliquum est, *Sigismundus* noster, cum legitimam prolem non haberet, *Maximilianum* *Austriacum*, consobrini sui *Friderici* filium, adoptavit, eique omnes provincias hereditarias tradidit, certâ tamen pensione annuâ sibi reservatâ. Tandem verò an. 1496. *Oeniponti* obiit, & in monasterio *Stams* sepultus est.

FERDINANDVS,

I.



FERDINANDVS. D. G. ARCHID. AVSTRIE.

*Figura armata & pileo Archiducali ornata,
dextra sceptrum, sinistra gladium tenens.*

DVX. BVRGVNDIE. COMES. TIROLIS. 1573.

Insignia torquæ Aurei Velleris cincta.

Fuit hic FERDINANDVS Imperatoris *Ferdi-*
nandi I. filius, ex *Anna* Hungarica an. 1529.


Lincii natus, princeps heroicus, liberalis, hilaris, & (si communi de ipso famæ fides habenda est) tam robustus, ut lanceam 28. pedum (quæ adhuc hodie in arce Ombras haud procul Oeniponto visitur) solâ dextrâ vibrare valuerit. Ne dicam, quod vulgò addi solet, eum binos Imperiales manibus suis rumpere, immò currum aliquot equis tractum retinere potuisse, & id genus alia.

Vxorem ille bis duxit. Prima fuit *Philippina*, Patricii Augustani, *Francisci Velseri*, Baronis de Zinnenberg, filia, quæ an. 1550. thalamum Ferdinandi ingressa, per integros triginta annos eum tenuit, ac anno demum 1580. mortua, hoc epitaphium Oeniponti adepta est: *Ferdinandus Dei gratia Arch. Austr. Dux Burgundia, Comes Tyrolis, Philippina conjugii charissimæ fieri curavit. Obiit 24. mens. Aprilis anno salutis 1580.* Ex illâ conjugæ princeps noster duos filios suscepit, quorum alter fuit *Andreas ab Austria*, Cardinalis & Episcopus Constantiensis ac Brixinensis, nec non Belgii Gubernator, natus an. 1558. & an. 1600. mortuus; alter verò *Carolus ab Austria*, Marchio Burgoviæ, qui an. 1560. lucem hanc adspexit, nullisque ex *Sibylla* Iuliacensi liberis relictis, an. 1618. vitâ functus est.

Secundis nuptiis Ferdinandus sibi copulavit *Annam Catharinam* Gonzagam, *Wilhelmi III. Mantuæ Ducis* filiam, suamque è sorore neptem, quæ etiam mutato nomine (ob religiosum S. Iulianæ cultum) *Anna Iuliana* dici voluit. Hæc an. 1582. ducta, ad annum usque 1620. vixit, & tres foemellas peperit, quarum duæ vitam monasticam elegerunt, tertia verò, *Anna*, consobrino suo *Matthiæ Imp.* nupsit, & an. 1618. obiit.

Iam, quod ad ipsum uncialis nostri typum attinet,

net, *insignia* averse partis quadripartita sunt. Et quidem primus quadrans tæniæ *Hungaricas*, secundus autem leonem *Bobemicum* exhibet. Quadrans tertius iterum ex repetitis *Castella & Legionis* symbolis quadripartitus est, eodemque modo quartus tesseras *Austriacas Burgundicasque* sibi quadrifariam oppositas habet; Toti verò incumbit *hæc* parmula, aquilam *Tyrolensem* præferens.



FERDINANDVS: D: G: ARCHID: AVSTRIÆ.

Effigies armata & coronata, cum sceptro & gladio.

DUX: BVR: LAND: ALSA: CO: PHIRT. *Insignia pileo Archiducali ornata, & torque A. V. cincta.*

Solo titulorum ac insignium augmento nummus hicâ præcedenti differt. Nam FERDINANDVS noster præter ARCHIDUCIS AVSTRIÆ, DV-


DVCisque BVRgundia appellationem, hîc quoque LANDgravius ALSAtia, & Comes PHIR-Tensis (sive Ferretensis) vocatur, quæ axiomata p. 92. & 95. explicavimus. Insignia verò, licet quoad singulos scuti majoris quadrantes cum superioribus ex asse congruant, *Alsatia* tamen *deÿua* parmulæ mediæ (*sur le tout*) inscriptum monstrant, & insuper duobus aliis scutulis minoribus utrinque stipata sunt, quorum alterum â dextrô latere leonem (ni fallor) *Habspurgicum*, alterum autem â sinistrô latere pisces *Pfiretenses* complectitur.

Supereſt, ut de exitu Archiducis *Ferdinandi* dicamus.

Is an. 1595. contigit, cujus primô mense, ejusdemque luce quartâ & vigesimâ, Princeps iste Oeniponti obiit, humatus ibidem in æde S. Crucis, juxta priorem conjugem Philippinam, quam vivus adeò dilexerat, ut nec mor-

tuus ab eâ voluerit avelli.

CAROLVS.



CAROLVS: D: G: ARHI. DVX. AVSTRIÆ.
*Effigies armata & coronata, dextrâ sceptrum,
 sinistrâ gladium tenens.*

ET: CARINTHIÆ. ZC. 1580. *Insignia.*

CAROLVS hic præcedentis *Ferdinandi* frater fuit, minimus scilicet natu *Ferdinandi I.* Imperatoris filius, Viennæ an. 1540. in hanc lucem editus. Is *Græci* in Styriâ sedem suam fixit, ductâque an. 1571. *Mariâ*, Alberti V. Baviaræ Ducis filiâ, plurimos utriusque sexûs liberos genuit, quos inter longè eminent *Ferdinandus II.* Imperator, quem suo loco vidimus. Vel eo enim nomine Carolus noster felix fuit, quod augustum illum filium procreavit, per quem priori Imperatorum Austriacorum stirpe deficiente, alterius lineæ adhuc hodie imperantis auctor extitit. At plura


ra tamen inter liberos suos numeravit coronata capita. Nam (præter *Maximilianum Ernestum*, *Leopoldum*, & *Carolum* filios, de quibus posterioribus duobus mox dicendum erit) *Anna* ipsius filia Sigismundo III. Poloniæ Regi nupsit, eidemque mortuæ in conjugio isto succesit *Constantia* soror; *Margarita* verò Philippo III. Hisp. Regi fuit elocata; binæque aliæ Caroli hujus filiarum summorum principum conjuges fuerunt, *Maria* scilicet Sigismundi Bathori, Transylvaniæ principis, & *Magdalena* Cosmi II. Magni Ducis He-truriæ.

Sed fortunatus iste pater ultra quinquagesimum ætatis annum vitam non produxit. Cùm enim religiosum iter ad sacrum Styriæ locum, quem Mariæ cellam vocant, suscepisset, æstivoque tempore non breve viæ spatium pedibus emensus, contractum corporis langvorem cibo ac potu nimis frigido conatus esset sublevare, in morbum incidit, quo paucis interjectis diebus Græcii an. 1590. ipsis Iulii calendis obiit.

Insignia uncialis nostri, quoad præcipuam scuti majoris dispositionem, planè eadem sunt, ac illa, quæ in præcedentibus Archiducis *Ferdinandi* nummis vidimus. Mediam tamen parmulam hîc occupat *Carinthiæ* tessera, cujus Archiducatus etiam inter titulos Caroli fit expressa mentio.

Præterea autem quatuor majoris scuti latera totidem minores parmulae claudunt: Quarum suprema fasciam *Austriacam* exhibet; ea, quæ ad dextram posita est, *Styriam* designat; quæ sinistram occupat, aquilam *Tyrolensem* complectitur; & infima denique leonem *Gortiensem* habet, qui taniis (sive baltheis) suis irrepit.

MAXIMILIANVS.



MAX:DG: ARH. AVST: DVX. BVR: MAG:
 PRVSS: ADMI. *Effigies armata, coronata
 & palliata, stans, dextrâ gladium tenens, &c.
 Eques armatus, cum vexillo, 15. parmulis cin-
 ctus. 1603.*

Præcedentis Caroli frater natus major *Maximilianus II.* Imperator, præter Rudolphum II. & Matthiam filios, qui in dignitate Imperatoriæ ipsi

ipsi successerunt, hunc etiam, quem in presenti nummo exhibemus, MAXimilianum genuit. Fuit autem ille natus ex *Mariá*, Caroli V. Imp. filiâ, an. 1558. d. 12. Octobris, & vitam coelibem conjugio præferens, tam sacræ quàm profanæ (ut ità dicam) militiæ se consecravit.

Cùm enim post excessum *Stephani* Poloniæ Regis hic *Maximilianus* noster à nonnullis regni istius proceribus in Regem esset electus, æmulumque haberet *Sigismundum*, Iohannis III. Sveciæ Regis filium, quem disidentes à prioribus proceres elegerant; armatâ Maximilianus manu Poloniam ingressus, ipsam quidem Cracoviam, sedem Regiam, obsidione cinxit, ut ad coronam ibi obtinendam sibi aditum pararet: Sed infelici prælio an. 1588. à *Iohanne Zamoscio* belli Duce victus & fugatus, imò etiam captus & bimestri ferè custodiæ fuit traditus, è quâ tamen, Rudolphi II. fratris interventu, mox iterum dimissus fuit, eâ lege, ut victori *Sigismundo* regnum cedens regio impofterum titulo abstineret.

Hinc alii militiæ Maximilianus nomen dedit, sacræ scilicet, quæ est *Teutonici*, vel *Hospitalis S. Mariæ Hierosolymitanae Ordinis*, cujus Supremo Magistro *Henrico à Bobenhausen* anno 1595. successit. Ideò enim in unciali nostro, præter conlyetos ARcHiducis AVSTriæ, DVcisque BVR-

gundia titulos, *MAGisterii PRVSSiæ ADMINi-
strator*; nec non in aliis id genus nummis, *OR-
Dinis TEVTOnici PER GERmaniam & ITAli-
am MAGISter* appellatur, ceu mox videbimus.
Quid autem ista sibi velint nomina, neminem la-
tere potest, qui sacras Imperii nostri dignitates ha-
bet cognitās. Nam inter illas haud postrema est
Supremi in Borussia Magisterii administratio,
sæculô ahhinc quintô geri cœpta, postquam *Equi-
tes Teutonici*, circa annum 1229. à Conradô Maso-
viæ Duce exciti, è Palæstinâ in Borusiam migrârunt,
ut ipsi contra gentiles Prussos succurrerent. Quâ
expeditione quidem factum est, ut his Equitibus su-
premoque eorum Magistro amplissimus ibi terra-
rum tractus in præmium navatæ operæ cesserit; sed
illis se deinde insolentius gerentibus mutata est in
Borussia rerum facies, & superior hujus regionis
pars coronæ Polonicæ annexa fuit, inferior autem
Alberto Brandenburgico, Supremo Ordinis Teu-
tonici Magistro, an. 1525. à Rege Poloniæ beneficia-
riâ lege fuit collata, & in *Ducatum* hereditarium
abiit, cujus *supremum* tamen *imperium* potentissi-
ma domus Electoralis Brandenburgica an. 1657.
obtinuit.

At licet eâ ratione in *Borussia* cessaverit *Tento-
nicus Ordo*, in *Germaniâ* tamen non æque superesse
desiit, ubi in hunc usque diem Supremus illius
Ma-

Magister *Mergenthemii* ad Tubarim sedem suam habet, & in antiqui domini memoriam adhuc hodie *Administrator Summi Magisterii in Borussia* vocatur, quò axiomate Carolus V. Imp. *Waltharum à Cronberg* an. 1526. in literis investitoriis ornavit.

His titulis itaque non immeritò *Maximilianus* noster etiam in præsentis nummo utitur, simulque eò habitu se exhibet, qui *Supremo Borussiae Administratori*, vel *Ordinis Teutonici Magistro* convenit. Facile autem liquet, utramque uncialis hujus faciem ab antiquissimò nummorum Austriacorum typò mutuata esse, quem p. 155. expressimus. Nam pari modò hic quoque stantis Archiducis *Maximiliani* figura, hinc *leonem* cum scuto *Austriaco*, illinc verò *galeam* cum caudâ pavoninâ lateri suo junctam habet. Immò etiam aversæ parti *eques cataphractus* inscribitur, dextrâ *vexillum* militare (ex symbolis *Arragonia*, *Austria antiquæ*, ac *Burgundia* quadripartitum) gerens, & *quindecim parmulis* circumdatus.

Maxima harum parmularum, sub ipso equite posita, crucem *Ordinis Teutonici* complectitur, de quâ ad nummum sequentem nobis erit dicendum. Quæ inter hanc & vexillum equitis à fronte extant minora 7. scutula, tesseras *Bohemie*, *Castellæ*, *Austria veteris*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Habsburgi*, &
Al.

Alsatia, comprehendunt. Reliquæ 7. à tergô equitis descendentes *parmulæ*, insignia *Goritia*, *Tyrolis*, *Styria*, *Burgundia*, *Austria recentioris*, *Legionis*, & *Hungaria*, ostentant. Nec ipse ornatus equi symbolis ejusmodi scutariis destituitur, sed tæniis *Hungaricas*, Leonem *Bohemicum Habsburgicumque*, Aquilam *Tyrolensem*, & *déymata* id genus alia, opere *Phrygio* elaborata, continet.

II.



MAXIMIL: DG: AR: AV: DVX: BVR. STIR:
 CARN. *Effigies, capite nudo. 1616.*
 ET: CARN: MAG: PRVSS: AD: COM: HA: ET:
 TIROL. *Insignia.*

IN hoc nummo *Maximilianus* loco monilis Aurei Velleris, solam *crucem* torque collo dependentem gerit; *tituli* ejus verò hic occurrentes ità legendi sunt: *Archidux Austria*, *DVX Burgundia*,

gundia, STIRIA, CARINTHIA, ET CARNIOLA;
MAGISTERII PRUSSIA ADMINISTRATOR; COMES
HABSPURGI ET TIROLIS.

Insignia aversæ partis quod attinet, ea quidem in quatuor magnos quadrantes distributa sunt, quorum primus tæniæ *Hungaricas*, secundus leonem *Bobemicum*, tertius symbola *Austriaco-Burgundica*, & quartus deniq; aquilam *Tyrolensem*, junctam Leoni *Habsburgico*, complectitur; At quadrifida ista scuti hujus lectio (*l'écarteleûre*) fit mediante *Cruce* aliquâ prorsus singulari, quæ est solenne *Ordinis Teutonici* ac *Supremi* ejus *Magistri* symbolum.


Hæc olim *nigra* tantum *cruce* fuit, albo pallio vel scuto argenteo impressa, ex quò Coelestinus III. Papa ordinem istum an. 1192. confirmavit; sed postea Ioannes Rex Hierosolymitanus *nigræ* illi *cruci* superinduxit *auream*, cujus extrema Ludovicus IX. Galliarum Rex, è *Palæstinâ* redux, *quatuor liliis* ejusdem metalli ornavit. Scutulum verò medium, quod *aquilam nigram in campo aureo* expansam præfert, Fridericus II. Imperator addidit.

In aliis hujus generis uncialibus scutum illud majus, quod hæctenus descripsimus, utrinque parvulam minorem sibi junctam habet, & quidem à dextro latere tesseram *Alsatiæ*, à sinistro autem *Pfretense* symbolum: quapropter etiam tituli Principis nostri ita immutati sunt, ut loco

COMitis *Habsburgi* ET TIROLIS, potius LAND-gravius *ALSatie* & COMES *PHIREtensis* (vel in aliis *FERretanus* appelletur.



III.



MAX. D: G: ARCH. AVST. DVX: BVR: MAG:
PRVSS: ADMINIST. *Effigies, capite nudo,*
à cujus collo crux liliata dependet.

ET. ORD. TEVTO. PER. GER. ITA: MA-
GIS: COM: HAB: ET: TI. *Insignia.*


En auctiorem tandem plenioremque *Maximi-
liani* titulum, quò non tantùm *MAGisterii*
PRVSSiæ ADMINISTrator, sed ET ORDI-
nis TEVTONICI PER GERmaniam ITALiamque
MAGIster audit, ut nobis supra dictum est. Am-
pliora sunt etiam averſæ partis *inſignia*, cruce Or-
dinis denuò distincta, quæ vel quindecim later-
culos continent. Supremo enim scuti loco hinc
Leo *Bohemicus*, illinc tæniæ *Hungariæ* occurrunt.

His

His substant longâ serie *Carinthia*, *Stiria*, *Burgundia*, *Austria nova*, *Legionis* & *Castella deiyuata*. Sequuntur in inferiori scuti parte symbola *Goritia*, *Tyrolis*, *Kyburgi*, & *Alsatia*, quibus parmulæ triquetrae Comitatus *Habsburgensis* & *Pfretensis* inferuntur. Pedem denique clypei occupant quinque alaudæ, quæ *Austria antiqua* tesseram constituunt.

Cæterùm *Maximilianus* noster, postquam tres & viginti annos officiô isthòc Supremi Teutonici Ordinis Magistri functus fuit, anno demum 1618. è vitâ migravit, & in eâ, quam deseruit, dignitate *Carolus* Austriacum, consobrinum suum, successorem habuit.

ALBERTVS.



ALBERTVS. ET. ELISABET. DEI. GRATIA.

Crux decussata, &c.

ARCHID. AVST. DVCES. BVRG. BRAB. Z^c.

1618. *Insignia coronata, & torque A. V. cincta.*

ALBERTVS hic præcedentis Maximiliani frater fuit, adeoque Imperatoris *Maximiliani II. & Mariae* filius, ac *Caroli V.* nepos, Neostadii Austriae an. 1559. d. 13. Nov. in hanc lucem editus. Ecclesiasticam primò vitam amplexus, an. 1577. à Pontifice Gregorio XIII. *Cardinalis* creatus est, titulo S. Crucis in Hierusalem; deinde à Philippo II. Hispaniae R. an. 1583. *Lusitaniae* fuit præfectus, ut eam suo nomine regeret, nec non *Quiroga* Cardinale mortuo, an. 1593. *Archiepiscopus Toletanus* & Hispaniae Primas evasit. Succesit postea fratri *Ernesto* in administratione *Belgii*, ubi contra Gallos Batavosque rem Hispanam gesit fortiter. Tandem verò ad conjugium animum adjiciens, an. 1599. Valentiae *ELISABETam* (five *Isabellam*) *Philippi II.* Hisp. R. filiam duxit, quæ ipsi dotis loco *Supremum Belgii Imperium* attulit.

Nata fuit hæc Alberti uxor in nemore Segobienfi, ex *Isabellâ* Valesiâ, an. 1566. ipsâ S. *Clarae* vigiliâ, unde ei præter maternum *Isabella* (seu *Elisabeta*) nomen, *Clara* quoque nomen fuit inditum; immò etiam *Eugenia* appellatio accessit, ex singulari parentum pietate in S. *Eugenium*, Dionysii Areopagitæ discipulum, & primum Toleti præfulem, cujus ossa præcedenti anno è Galliâ, *Caroli IX. R.*

in-

indultu, magnâ pompâ in Hispaniam transportata fuerant.

At licet nobile istud par serenissimorum conjugum per integros duos & viginti annos matrimonio junctum fuerit, optatissimô tamen irruptæ copulæ fructu, *prole* scilicet, caruit. Vnde post eorum fata *Belgium* rursus (ex transactionis legibus, quas apud *Gregorium Leti*, nel Teatro Belgico, pt. I. lib. 3. p. 119. sqq. aliosque legas) ad *Hispania* Regem rediit.

Obiit autem *Albertus*, ante Elisabetam conjugem, an. 1621. d. 13. Iulii, quem sæpè nobis dictus *Galeatius Gualdus* (nell' Historia di Ferd. III, pt. I. lib. 2. p. 54.) sequenti elogiô maectat: *Era questo principe l' amor del popolo, la delitia del suo secolo, tutto buono, tutto religioso, tutto pio, ed impareggiabile nella generosità e munificenza*, h. e. Princeps hic amor erat populi, sæculi sui delitiæ, verè bonus, verè religiosus, verè pius, & quoad generosam mentem, nec non liberalitatem, incomparabilis. Superstes *Elisabeta* uxor post mariti obitum vestes sacras religiosarum S. Claræ virginum induit, & per duodecim annos *Belgium* rexit, tandem verò an. 1633. viduitatem morte confecit & ad plures abiit.

Vtriusque Principis hujus nomen ei, quem exhibemus, nummo inscribitur, cum illum pari aucto-

ritate ambo, ut ARCHIDuces AVSTria, DVCES BVRGundia, BRABantiaque, signari iusserint. At tamen loco imaginum Alberti & Elisabetæ adverso nummi nostri lateri *crux decussata* impressa est, quæ ex duobus lignis nodosis (per igniarium transmissis) constat, proficientibus hinc inde *scintillis*, & additò utrinque memoratorum Principum *monogrammate*, nec non *aureo vellere* dependente. Hæc *crux*, quæ vulgò *Burgundica* dici solet, à nonnullis quidem ad *Stephanum* aliquem, Burgundionum Regem, refertur, quem decussatam *S. Andrea* Ap. crucem Masfiliam attulisse perhibent; Sed alii rectius originem hujus Sant-Andreanæ crucis à *Philippo* Bono, Burgundiæ Duce, arcessunt, quem supra p. 16. *Ordinem Aurei Velleris* instituisse diximus. Nam, cùm hoc an. 1430. fieret, *S. Andreas* Apostolus ex more sæculi ab eo lectus fuit, ut ordinis *patronus* esset, teste militari tesserâ *Mon joye Sainct Andrieu*, h. e. Meum gaudium S. Andreas. (Vid. *Io. Jac. Chiflet*. Lilius Francicum, c. XI. p. 81.) Hinc genti Burgundicæ nihil magis familiare extitit, quàm istiusmodi *decussatâ cruce* uti, quâ *S. Andreas* exspirâsse dicitur. Illa enim passim vexillis, scutis, nummis, ac id genus rebus aliis, inscripta fuit; & quidem nonnunquam *sola*, absque ulteriori ornatu, nonnunquam verò (ut in unciali nostro fit) igniariis, filicibus, *scintillis*, ipsòque


aureo vellere stipata. Immò *Thomas de Rouck* (libro Belgico, quem vocat *den Nederlandschen Herauld*, c. 7. p. 188.) auctor est, *Carolus V.* Imp. an. 1535, Tuneti in Africâ peculiarem ordinem equestrem instituisse, cui *Burgundica crucis* nomen fuit, & voluisse, ut novelli equites talem crucem pallii inscriptam gererent, ac in unciali nostro exhibetur, additâ voce *Barbaria*. Ita enim ait: *De Ridder droegen eenen mantel, daerop stondt een Bourgondies Cruys, ghelyck Carolus ghewoon was te voeren in den oorloghe, bestaende in twee knoopachtighe Stocken, ghestelt en sautoir, ter ghedachtenisse van St. Andries, Patroon van dat huys, waer by ghevoeght was een vyerstaet, d'welck vyer sloech uyt een keye, met dese inscriptie: BARBARIA.*

Aversi lateris insignia *Austriaco-Hispanica*, coronata & torqve A. V. cincta, è quatuor magnis quadrantibus, in suos iterum laterculos divisus, sunt composita. Illorum primus ex repetitis *Hungariae* & *Bohemiae* tesseriis quadripartitus est. Secundus bipertitus, hinc *déiyuata Castella* & *Legionis*, quadrifida sectione sibi opposita; Illinc verò *Arragoniae*, & *utriusque Siciliae* notas ostendit. Medio loco incumbit parmula *Lusitanica* (ob adquisitam à Philippo II. Hisp. R. 1580. Lusitaniam) & inferius areola triquetra regni *Granadae* (an. 1491. Mauris erepti) inferitur. Tertius qua-


drans,

drans, transversim sectus, novum *Austria*, *Burgundia*que symbolum antiquum continet. Quartus denique quadrans eâdem sectione tesseram novam *Burgundia*, & leonem *Brabantinum* exhibet; incumbente duobus hisce postremis quadrantibus bipertito scutulo, quod leonem *Flandricum*, & aquilam *Tyrolensem* complectitur.

LEOPOLDVS.



I.



LEOPOLD: D: G: ET. ARCHIDVCES. AVST.
 DVC: BVR. *Caput nudum, habitu sacro.* 1620.
 STIRIÆ. CARINT. CARN: LAND: ALS. *In-*
signia.


Hic LEOPOLDus, Imperatoris *Ferdinandi II.* frater, Græcii an. 1586. d. 9. Oct. natus, patrem habuit *Carolus*, Imp. *Ferdinandi I.* filium, matrem verò *Mariam* Bavaricam, de quibus

bus supra dictum est. Vitæ autem Ecclesiasticæ se emancipavit, & honoribus sacris cumulatus, an. 1598. Episcopatum *Passaviensem* obtinuit; cui successit an. 1608. *Argentinesis* præfulis, nec non Abbatis *Murbacensis* atque *Luderenfis* dignitas. Eam ob rem in hõc unciali (quem non suo tantùm, sed & reliquorum *Austria Archiducum*, nomine signari iussit) habitu sacrò utitur, & quidem eò vestimenti genere, quod Episcopis familiare est, & ab Italis *Rocchetto* solet appellari. Luculenta etiam sacrarum istarum dignitatum testimonia in aversò nummi hujus latere occurrunt, ubi quadripartitus major clypeus (notissima nobis *δελφικὰ Hungaria, Bohemia, Austria, Burgundia, Tyrolis, Habsburgi, Pfretenfis* Comitatus, & *Alsatie*, complectens) quatuor parmulis minoribus stipatus est, quæ *mitris lituisque sive pedis episcopalis* ornantur.

Harum prima, quæ dextro clypei majoris lateri adhæret, transversim secta est, & parte superiori baltheum diagonalem planum *Episcopatus Argentinesis*, inferiori autem prætextatum sive reticulatum *Landgraviatus Alsatie inferioris*, ostendit. Secunda parmula, sinistrum scuti gentilitii latus occupans, lupum excoriatum continet, qui *Episcopatum Passaviensem* designat. Parmula tertia (quæ unà cum quartâ sub majori scutò visitur)

tur) habet canem venaticum *Abbatia Murbacensis*, quod illustre ad Vogesum montem in Alsatia superiori Benedictinæ familiæ cœnobium est; & huic vicina ultima sive quarta parmula, manum porrectis digitis jurantem, *Abbatia Luderensis*, in Burgundiæ Alsatiaque confiniis sitæ, symbolum complectitur.

II.



LEOPOLD: D: G: ARCHIDVX. AVST. DVX:
BVR: ET C. SAC. CÆS: M: TIS ET. *Caput nu-*
dum. 1621.

RELIQ: ARCHID: GVBERNAT: PLEN: ET.
COM: TIR: LAND: ALS. *Insignia.*

Hic idem LEOPOLDus nobis sistitur, quem nummo præcedenti vidimus, sed ampliori titulo auctus, dum SACræ CÆSareæ Majestatis ET RELIQvorum ARCHIDucum GVBERNATOR PLENarius appellatur. *Cæsareæ autem*
Ma-

Majestatis nomine Imp. *Ferdinandus II.* Leopoldi hujus frater indicatur, qui isti principi, ob egregias animi corporisque dotes, vicarium pace ac bello imperium commisit. *Archiduces reliqui* eò tempore fuerunt, *Carolus* posthumus, natus minimus Leopoldi frater, & duo ipsius fratruales, *Ferdinandus* & *Leopoldus Wilhelmus*, Imperatoris Ferdinandi II. filii, quorum nomine Leopoldus hereditarias Archiducatus Austriaci provincias, inprimis autem (unciali nostro expressum) *COMitatum TIRolis* & *LANDgraviatum ALSatia* administravit.

Insignia averfæ partis planè congruunt cum illis, quæ nobis proximè antecedens nummus exhibuit; exceptis tamen sacrarum dignitatum symbolis, quæ in hõc unciali non conspiciuntur. At *alii* quoque imperiales hujus generis extant, ubi talis insignium dispositio occurrit, qualem sequenti nummo observabimus. In iis etiam deest *Landgravi Alsatia* titulus, & solum *COMitis TIRolis* axioma ultimum elogiorum locum occupat.



LEOPOLDVS. D: G: ARCHIDVX. AVSTRIÆ:

*Effigies armata & coronata, dextrâ sceptrum,
sinistrâ gladium tenens. 1632.*

DVX. BVRGVNDI. COMES. TIROLI. *Insignia
coronata, & torque A. V. cincta.*

En Leopoldum nostrum alio prorsus, nempe *seculari*, habitu. Hunc anno 1626. induit, quô dignitatibus ecclesiasticis sese abdicans, vitam cælibem cum maritali commutavit. Factum id prævio sacro itinere, quô Princeps hic primùm *S. Mariam Lauretanam* adiit, anathema votivum magni pretii ipsi suspensus, *Tabernarum* scilicet *Alsaticarum* (quæ civitas Episcopi Argentinenfis sedes est) argenteam imaginem. Deinde *Romam* petiit, & exploratô Innocentii Siculi Minoritæ consilio, (qui illo tempore magnam sanctitatis & vaticini oris famam habebat) Episcopatus su-

os missos fecit, qui proinde fratueli ipsius, *Leopoldo Wilhelmo*, Ferdinandi II. Imp. filio, (an. 1614. nato, annoque 1662. mortuo) collati sunt. Hinc red-
 dux Leopoldus, ac Hetruriam transiens, uxorem
 sibi elegit *Claudiam Medicæam*, *Ferdinandi I.* Ma-
 gni Hetruriæ Ducis filiam, & *Friderici Vbaldi* ul-
 timi Urbini Ducis viduam; quæ ipsi (præter *Ma-
 riam Eleonoram* in infantiâ extinctam) filios du-
 os peperit, *Ferdinandum Carolum*, & *Sigismun-
 dum Franciscum*, (de quibus mox dicendum e-
 rit) totidemque filias, quarum altera, *Clara Isa-
 bella*, Carolo II. Mantuæ Duci nupsit, altera au-
 tem, *Maria Leopoldina*, Ferdinando II. Impera-
 tori fuit elocata.

Extat nummus elegans argenteus (at nobis,
 quia unciali duplo major est, non afferendus) quò
 combinatæ *Leopoldi* & uxoris *Claudia* effigies ex-
 hibentur hâc epigraphe additâ: LEOPOLD: AR:
 D: AV: ET: CLAVDIA: ARCHIDVCISA: AV-
 STRI. MEDIC. Alterum latus occupat aquila
 Tyrolensis, quam stipant verba: DVX: BVRGVN-
 DIÆ: COMES: TYROLIS.

Quod uncialem nostrum attinet, *insignia* aver-
 sæ partis non nihil differunt â præcedentibus. Nam
 parmulam mediam, majori scuto incumbentem, a-
 quila *Tyrolensis* implet, & ultimus quadrans ex tes-
 serâ *Habsburgicâ* ac *Goritiensi* bipertitus est; ac-

cedit areola triquetra, pedi clypei inserta, quæ antiquum *Austria* symbolum, quinque alaudas, complectitur.

Cæterùm *Leopoldus* hic anno 1632. (qui ætatis ejus erat sextus supra quadragesimum) inter venandum primò oculorum morbò, deinde autem febrì correptus, die 17. Septembris obiit.

CAROLVS.

I.



CAROL: D: G: ARCH: AVST. DVX: BVRG:
COM: TIROL. *Effigies Principis, capite nudo.*
EPVS: BRIX: ET: WRATISLAVIENSIS. A. 1614.
Insignia.

Anteqvam ad memoratos *Leopoldi* Tyrolensis filios accedamus, fratrem ipsius CAROLVM ut contemplemur, nativitatis ordo postulat. Is an. 1590. d. 7. Aug. adeòque mense integro, & quod excurrit, post *Caroli* parentis mortem natus est, unde


unde vulgò *posthumus* vocari meruit. Cœlibem verò vitam duxit, & eximiis aliquot dignitatibus ecclesiasticis gavifus est, quarum duæ unciali nostro exprimuntur. Nam in illo *Carolus* hic *Episcopus BRIXINENSIS, & WRATISLAVIENSIS* audit; & quidem *Wratislaviensi* Ecclesiæ jam an. 1608. præfectus fuit, in *Brixinensi* autem Episcopatu eò ipsò, quò nummus noster signatus est, an. 1614. *Christophoro Andrea L. B. à Spaur* successit. Præter hæc etiam officia *Ordinis Teutonici Magister* fuit, ceu ad sequentem nummum observabimus.

Vix autem ampliora hæctenus *Insignia* se nobis obtulerunt, quam illa sunt, quæ averfam uncialis nostri partem occupant. In iis primò occurrit caput scutarium bipertitum, hinc tæniæ *Hungaricæ*, illinc leonem *Bohemicum* exhibens. Huic substans ipse clypeus, ter ad perpendicularum, totidemque vicibus transversim sectus, duodecim areolis componitur, quarum postremis tres parmulae triquetrae insertæ sunt. Prima areolarum istarum symbolum *Castellanum*, secunda *Legionense*, tertia *Arragonicum*, & quarta *Siculum*, completitur. Quinta (quæ secundum ordinem inchoat) tesseram *Stiria*, sexta *Carinthia*, septima *Cariniola*, & octava *Goritia*, comprehendit. Nona (quæ tertii ordinis prima est) denotat *Burgoviam*,
deci-

decima Ducatum *Würtembergicum*, undecima Landgraviatum *Alsatia*, & duodecima Comitatum *Kyburgensem*. Ad parmulas triquetras (postremis his areolis insertas) quod attinet, earum prima pisces *Pfretenses* continet; secunda bipartita, hinc *Austria superioris dēryca*, illinc verò alaudas *Austriae veteris*, simulque galerum *Marchia Vinidorum* ostendit; Tertia denique, ex stellis fasciisque nonnullis quadripartita, Comitatum *Cilejensem* designat, quem Fridericus III. Imp. post ultimi Comitis *Ulrici* (an. 1456. à Ladislao Corvino cæsi) fata serenissimæ domui Austriacæ asseruit. Sed nondum tesserariarum iconum finis est. Nam honoratori hujus scuti loco adhuc parmula quadripartita incumbit, quæ *Austria nova*, *Burgundia*, *Tyrolis*, & *Habsburgi* notas exhibet.

Vtrumque clypei majoris hæctenus descripti latus duo scutula minora premunt, mitrâ & pedô Episcopali ornata, quorum alterum (ad dextram conspicuum) Episcopatum *Brixinensem* designat, alterum verò (ad sinistram comparens) Episcopatum *Vratislaviensem* indicat.

II.



CAROLVS: D: G: ARC: AV: DVX: BVR:
STIR: CARN: *Effigies armata, capite nu-
do. 1623.*

ET: CARN: MAG: PRVSS: AD: COM: HA: ET:
TIROL: *Insignia.*

En denuò *Carolus* posthumum Archiducem,
sed aliò habitu, novòq; *MAGisterii PRVSS-
Sia ADministratoris*, sive *Supremi Ordinis
Teutonici Magistri* axiomate conspicuum. Hanc di-
gnitatem an. 1618. adeptus est, & in eà consobri-
no suo *Maximiliano* succesit, de quò p. 164. sqq. egimus.
Ab illò quoque mutuata sunt *Insignia*, unciali no-
stro inscripta, unà cum *titulis* peripheriam utrius-
que lateris implentibus; utpote quorum nulla est
diversitas ab istis, quæ ad secundum *Maximiliani*
nummum nobis dicta sunt.

Cæterùm *Carolus* hic novò isthòc munere non

diu functus est. Nam cùm Philippus IV. Hisp. R. illum ad se accersisset, eo animo, ut ipsi Lusitaniam suo nomine regendam traderet, nec non Isabella Clarâ Eugeniâ, Alberti Austriaci viduâ, defunctâ ei quoque Belgii imperium committeret, Mantuam Carpetanorum (seu Madritum) quidem petiit, ibidemque an. 1624. d. 24. Novembris appulit; sed paulò post improvise morbo oppressus, in istâ Hispanorum Regiâ d. 26. Decembris vitam cum morte commutavit.

FERDINANDVS CAROLVS,



FERDINAND: CAROL: D: G: ARCHIDVX.
AVST. *Effigies Principis, capite nudo, 1654.*
DVX. BVRGVNDIÆ. COMES. TYROLIS. *Insignia coronata & torque A. V. cincta.*

Revertimur nunc ad Archiducalem Leopoldi Tyrolensis (qui Caroli præcedentis frater fuit)


it) profapiam. Huic *Claudia* Medicæa uxor, præter aliquot sequioris lexûs principes, duos (ceu diximus) filios peperit, quorum natu major FERDINANDus CAROLus noster an. 1628. d. 17. Maji in hanc lucem prodiit. Fuit is princeps robustus pulcher vegetus, & (*Didaci de Lequile*, qui in aula ejus vixit, testimonio) tam corporis quàm animi dotibus atavo *Maximiliano I.* perquam similis, cujus ad exemplum quoque venandi studiis impensè fuit deditus, nec à bellandi artibus abhorruit. Anno 1646. thori sociam sibi legit *Annam* consobrinam, *Cosmi* M. Ducis Hetruriæ filiam, quam dictus matrimoniorum Austriacorum scriptor (Excurs. 6. p. 412. non tantùm ab oris pulchritudine, mentisque & ingenii acumine commendat, sed etiam singulare hoc addit, principem istam, omnes unguentorum mundique muliebris odores magnâ reluctatione fugientem, naturali quâdam corporis svaveolentiâ fuisse præditam. Ex illâ *Ferdinandus Carolus* triplicem, at sequioris sexûs, sobolem suscepit. Prima fuit *Claudia Felicitas*, an. 1653. nata, quam Augustissimi Imperatoris nostri *Leopoldi* secundam conjugem fuisse suprâ p. 144. memoravimus. Successit huic anno sequenti alia proles fœminea, sed ipso natali suo iterum denata. Tertia denique filia fuit *Maria*

Magdalena, quæ an. 1656. lucem adspexit, & decimo tertio ætatis anno variolis oppressa supremum diem obiit.

Ipsè harum pater, *Ferdinandus Carolus*, postquam aviti Comitatus Tyrolensis regimen per tria & quod excurrit lustra tenuit, anno demum 1662. d. 30. Dec. terras reliquit, quem vidua ipsius *Anna* 1676. d. 12. Sept. eâdem humanæ fragilitatis viâ sequuta est.

De *Insignium* dispositione, quæ in unciali nostro occurrit, non opus est prolixè dicere, cùm ei sit simillima, quam p. 138. in nummò III. Imp. Leopoldi vidimus. Pari enim modo hîc parmula *Tyrolensis* majori clypeo incumbit, cujus quinque areolæ symbolum *Hungaricum*, *Bohemicum*, *Austriaco-Burgundicum*, *Austriacum vetus*, & *Habsburgico-Goritiense* continent.

SIGISMVNDVS FRANCISCVS.



SIGISMVNDVS. FRANC. D: G: ARCHIDVX.
AVST. *Effigies ornata, capite nudo.*

DVX. BVRGVNDI: COM: TYROLIS. 1665.
Insignia coronata & torqve A.V. cincta.

Et hujus nummi *insignia* cum iis, quæ præcedenti unciali & p. 138. notavimus, ex æsse congruunt. Alium tamen auctorem habent, cujus genus & ditiones indicant. Nam is SIGISMVNDVS FRANCISCVS Austriacus est, præcedentis *Ferdinandi Caroli* frater, & *Leopoldi* Tyrolensis filius natu minimus. Hic, postquam an. 1630. d. 28. Nov. vitali aurâ frui cœpit, vitæque ecclesiasticæ se addixit, variis quidem dignitatibus sacris fuit ornatus, dum præter *Gurcensem* in *Carinthiâ* Episcopatum, an. 1646. Ottoni à Gemmin-

gen in Episcopatu *Augustano*, nec non an. 1659. Carolo Emanueli Madrutio in *Tridentino*, successit. At fratre ipsius *Ferdinandô Carolô* an. 1662. sine masculâ prole è vivis sublatô, omnibus hisce officiis ecclesiasticis se abdicavit, & sæculare principalis Comitatus Tyrolensis ac provinciarum eò pertinentium suscepit regimen. Immò nuptias quoque meditatus, *Mariam Hedvigen Augustam*, filiam *Christiani Augusti*, Comitis Palatini ad Rhenum ex domo Solisbacensi, interveniente legato Comite à KönigsEck sibi despondit. Verùm improvisâ morte præventus hoc matrimonium consummare non potuit, sed an. 1665. d. 25. Jun. in ipso nuptiarum apparatu decessit; lautissimam Imperatori Leopoldo hereditatem, at gravem sponsæ dolorem relinquens, quem illa post triennium succedente *Julii Francisci*, ultimi Saxonix inferioris Ducis, conjugio lenivit.



NUMMORVM
 VNCIALIVM,
 Quos
 IMPERATORES ET REGES
 ROMANORVM
 signari iusserunt,
 ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑΤΑ.

MAXIMILIANVS I.



MAXIMILIAN. ROMA. REX. SEMPER. AV-
 GVST. 1495. *Effigies Maximiliani armati
 & coronati, dextrâ gladium, sinistrâ pomum
 imperiale tenentis.*

*Aquila μονοκέφαλος, duo scutula pectore ge-
 stans, & viginti aliis parmulis cincta.*

Exi-

Eximiô hóc nummô unciali argenteô, quem gratiæ Ill.^{mi} Comit^{is} Schvartzburgici *Antoni Guntheri* debemus, MAXIMILIANus I. Austriacus, *Friderici* III. filius & successor denuò nobis sistitur. Meritò autem coronatus, ac imperiali pomô & gladiô instructus, adeòque *Regiô*, vel (si mavis) *Imperatoriô* habitu ornatus apparet, cùm illo ipso, qui hóc nummo signatur, an. 1495. verè Imperatorem sive Regem sese gesserit. Prima enim isthóc annô *Comitia* Wormatiæ celebravit, ubi collatis procerum consiliis deliberatum fuit, quà ratione Turcis Imperio infestis, nec non Gal-
lis Italiam vexantibus, obsistendum esset. Homa-
gium quoque eâ occasione Maximiliano, ut novel-
lo Imperatori, fuit præstitum, & *Ludovicus Sfor-
tia* titulum Ducis Mediolanensis, *Eberhardus* Bar-
batus autem Ducis Würtembergensis axioma ob-
tinuit.

At præcipuum horum comitiorum negotium fuit *Iudicii Camera Imperialis* constitutio, eòdem an. 1495. à Maximilianô facta, tam ad defuncti patris *Friderici* mentem, quàm ex *Bertholdi* Archi-
episcopi & Electoris Moguntini consilio. Vnde meritò hic Imperator IVDICII CAMERÆ IMPE-
Rialis CONDITOR audit, in elegantissimo num-
mo aureo qui ornatam ipsius conjugisque *Mariæ*
effigiem exhibet; licet is simul anni M CCCC
LXXXVI.

LXXXVI. numerum præferat, adeoque apertè in mendo cubet, quod jam Cl. *Colloquiorum mensur.* auctor (an. 1692. mens. Decembr. p. 957. sq.) observavit.

Aversam uncialis nostri partem quod attinet, expansa *aquila μονονέφαλ* & duo quidem scutula combinata pectore gerit, quorum alterum Archiducatus *Austria*, alterum verò Principalis Comitatus *Tyrolensis δᾶγμα* continet; Sed regiam istam volucrem *viginti* aliæ circumstant *parmulae*, quæ varia ditionis Austriacæ insignia complectuntur. Prima scilicet (eaque superior, & ipsi aquilino capiti incumbens) *parmula* leonem *Habsburgicum* ostentat. Secunda (versus dextram volucris alam numerando) habet vexillum ecclesiasticum, Comitatus *Montfortensis* (aut *Veldkirchii* in *Nebelgoja*) symbolum, quem Leopoldus Austriae Dux an. 1376. à Rudo'pho C. Montfortio 36000. aureis emit. Tertia Comitatum *Kyburgensem* designat; quarta Landgraviatum *Nelleburgicum*, qui aliàs *Hegovia* dici amat; quinta Comitatum *Hohenbergicum*; & sexta Marchionatum *Burgovia*. Sequens septima Leonem (nî fallor) *Limburgicum* præfert, cujus Ducatus dominium Maximiliano Maria uxor attulit. Octava notat *Stiriam*; nona *Carniolam*; decima *Burgundiam*; & undecima (quæ sola coronata est) occupatum à

Principe nostro Regnum *Hungariae*. Duodecimam
leo *Brabantinus* implet, luculentum uxoriae dotis
monumentum; decima tertia denotat *Carinthiam*;
decima quarta *Austriam superiorem*; decima
quinta Comitatum *Flandriae*; & decima sexta *Hol-*
landiae Comitatum; qui posteriores duo quoque
ad dotalia conjugis Maximiliani bona pertinent.
Decima septima spectat ad Landgraviatum *Alsa-*
tiae; Decima octava *Marchiam Vinidorum*;
Decima nona *Portum Naonis*; & vigesima deni-
que Comitatum *Phiretensem*, indicat.

CAROLVS V. & FERDINANDVS I.



CAROLVS V. ET FERDINANDVS I. FR.
ROM. IMP. ET REX. REGG. HISP. VTRIQ.
SICIL. VNG. BOE. ET ARCHID. AVST.
D. BVRG. COM. TIROL. ETZC. M. DXXXI.
Effigies Caroli V. & Ferdinandi I. &c.

Aqui-

Aquila Imperialis biceps, scutum pectore gerens, 1550.

Nummus hic, à Cl. V. *Henrico Pipping*, Lipsiensi, nobiscum communicatus, augustissimos fratres exhibet, qui superiori sæculo Imperium Romano-Germanicum tenuerunt, CAROLVM V. scilicet, & FERDINANDVM I. Philippi Austriaci Hisp. R. filios, quorum vultus ità sibi sunt oppositi, ut alter alterum adspiciat. Sic enim jam Romanis antiquioribus solenne fuit, principum facies & capita in nummis eò situ, quem Galli voce *affronté* eleganter exprimunt, sibi invicem opponere; quod apud Ill. *Spanhemium* (de Præst. & Vsu Numism. dissert. V, 417. & VIII, 619. 645. 649. intuentes sese vultus *Caji & Augusti, Romæ & Senatûs, Neronis & Octavia, Neronis & Drusi, liberorum Claudii, Vitellique*, ac aliorum id genus procerum, testantur. Quemadmodum autem in illis veterum nummis haut rarò inter duo ejusmodi capita aliquid interponi solet, ut *Pallas* hastâ & ægide armata probat, quæ allatis *Romæ & Senatûs* capitibus (d. l. p. 417.) interfertur; ità etiam in unciali nostro factum videmus. Nam inter Caroli & Ferdinandi vultum *duæ columna* è fluctibus emergentes conspiciuntur, addito lemmate *PLVS OVLTRA* (sive *VLTRA*),


quod pervulgatum *Caroli V. symbolum* p. 37. hujus libri exposuimus.

Sed fortè non cuivis statim primo adspectu patebit, quomodo efferenda sit nummi hujus *inscriptio*. Sciendum itaque, singula ejus verba hunc in modum legi debere: CAROLVS ET FERDINANDVS I. FRatres, ROManorum IMPerator ET REX, REGes HISPania, VTRIusQve SICILia, VNGaria, BOEmia, ET ARCHIDuces AVSTria, Duces BVRGundia, COMites TIROLis &c. Hi tituli ità comparati sunt, ut eorum aliquid soli *Carolo V.* aliquid soli *Ferdinando I.* aliquid tandem *utrique* competat. Ad solum *Carolum V.* referenda est ROManorum IMPeratoris appellatio, quà Ferdinandum ante an. 1558. adeòque vivò fratre Carolò non fuisse usum, p. 63. docuimus. Similiter axioma REGis HISPania & VTRIusQve SICILia (cis Pharum scilicet, & trans Pharum, h. e. *Neapoleos & Trinacria*) quoad ipsam regnorum istorum possessionem, excluso Ferdinando soli *Carolo* competit, utut Ferdinandus nascendi jure titulum *Infantis Hispaniarum* gesserit. E contrario REGis VNGaria BOEmiaque dignitas ad solum *Ferdinandum* spectat, quem regna ista per uxorem Annam, Vladislai Hungariae & Bohemiae R. filiam, obtinuisse supra p. 48. notavimus. *Utrique* tandem Principi ex pater-

paternâ avitâque hereditate conveniunt ARCHI-
Ducum AVSTriæ, Ducum BVRGundia, & CO-
Mitum TIROLis tituli.

Porro in hęc nummō observandus est duplex &
 diversus *annorum 1531. & 1550. numerus*, quorum
 alter adversæ ipsius parti, aversæ autem alter inscri-
 ptus est. Simile exemplum p. 32. & 35. vidimus,
 & sanè, quod ibi fieri posse diximus, id reapse in
 hęc nummō accidisse arbitramur: permutatos scili-
 cet duorum diversorum imperialium typos mone-
 tarios (quorum alter novendecim annis altero re-
 centior extitit) aut casu aut consulto sibi junctos esse,
 quod in officinis monetaliis non est insolitum.

Superfunt *insignia*, quæ aversi lateris expansa bi-
 ceps aquila pectore gerit, ità disposita, ut quatuor
 magnis quadrantibus absolvantur. Horum primus ex
 tessera *Austriacâ, Castellana, Legionensi, & Bur-*
gundica veteri, rursus quadripartitus est. Secundus
 eadem quadrifidâ sectione tæniis *Hungaricas & le-*
onem Bohemicū bis repetit. Tertius quadrans biper-
 titus, hinc palos *Arragonicos*, inde verò utriusq; *Si-*
cilia dēryua exhibet. Quartus denique transversim
 sectus, ex liliis *Burgundia recentioris*, ac leone *Bra-*
bantino componitur. Inferitur autem pedi clypei a-
 reola triquetra, quam malum punicum *Granaten-*
se occupat, & toti incumbit parmula, aquilam
Tyrolensem præferens.



INDEX

Imperatorum, Regum, & Principum,
quorum nummi unciales hoc opere continentur.

- Albertus*, Archidux, p. 171.
Carolus, Archidux, p. 162.
Carolus posthumus, Archidux, p. 182.
Carolus V. Imperator, p. 32.
Carolus V. & *Ferdinandus* I. Imp. p. 194.
Ferdinandus, Archidux, p. 158.
Ferdinandus *Carolus*, Archidux, p. 186.
Ferdinandus I. Imperator, p. 41.
Ferdinandus II. Imperator, p. III.
Ferdinandus III. Imperator, p. 124.
Fridericus III. Imperator, p. 1.
Leopoldus, Archidux, p. 176.
Leopoldus, Imperator, p. 133.
Matthias, Imperator, p. 97.
Maximilianus, Archidux, p. 164.
Maximilianus I. Imperator, p. 5. addep. 191.
Maximilianus I. *Carolus* V. & *Ferdinandus* I. Imp. p. 69.
Maximilianus II. Imperator, p. 75.
Rudolphus II. Imperator, p. 81.
Sigismundus, Archidux, p. 150.
Sigismundus *Franciscus*, Archidux, p. 189.



Emendationes.

Præfat. p. 2. lin. 12. pro *Germanis* lege *Germanis ferè*. In Opere ipso
p. 3. lin. penultima dele *et* - p. 46. lin. 15. post verba superioris Au-
striæ, adde *Habsburgi*. p. 59. lin. 2. pro *Leo* Bohemicus lege
Leo Bosnicus. p. 64. lin. 15. dele *coronatum*. p. 80. lin. 14. pro
leonem Bohemicum lege *leonem* Bosnicum. p. 87. lin. penult.
pro Bohemicum lege Bosnicum, p. 98. lin. 1. pro *capessvit* lege
capessivit, p. 104. lin. 20. pro *aiorivay* lege *aiorivay*. p. 150. lin. penult.
pro *immò omnium fortè istius* lege *si non omnium fortè istius*.

